

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition des *Epigrammata* de Jean Visagier publiée à Lyon, chez Michel Parmentier, en 1537.

JOANNIS VULTEII REMENSIS EPIGRAMMATUM. LIBER I.

(2257 vers)

&AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM CARDINALEM LOTHARINGUM.

E1_1 v.1 Magne pater, Regi quo nullus carior alter,
 2 qui semper, factum quod cupis, esse cupit.
 3 Accipe, si placeant, acceptaque carmina serves,
 4 obduci obscaeno nec patiare situ.
 5 Sin tibi displiceant, perdas, nec, te duce, nostrum
 6 immerita immeritum laude fruatur opus.

AD EUNDEM.

E1_2 v.1 O opifer vatum, nostrae praeludia Musae,
 2 hocque libens spectes, quod modo surgit, opus.
 3 Aetate e tenera nostrum et metire laborem
 4 te tanto, ut possum, Praesule digna paro.
 5 Quod si immaturos tulit aetas primula fructus,
 6 maturas sensim proferet hortus opes.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

E1_3 v.1 Imperia imperiis quid tentas addere ? Quid jam,

2 quid tibi non faciunt regna paterna satis ?
 3 Quid te bellandi tenet insanabilis ardor ?
 4 Ni cesses, Gallas experiere manus.
 5 Quod satis est, tua terra tibi cum suggerit, arma
 6 cur fuso exsultans sanguine saeva paras ?
 7 Abstineas bellis, tantum compesce furorem :
 8 non princeps magni nec caput orbis eris.
 9 Non quaerenda tibi austero sunt regna labore,
 10 nam puncto, quae stant regna superba, cadunt.

AD LIBELLUM DE STEPHANO DOLETO.

E1_4 v.1 Exactis cupis auribus placere ?
 2 Ut docto placeas, gravi et Doletto,
 3 multum prospice, te, Libelle, quaeso.
 4 Hoc tu iudice per manus bonorum
 5 tractari poteris, Libelle belle.
 6 Huic uni placuisse, prima laus est.
 7 Huic tu si placeas, satis, Libelle, est,
 8 nec dentes metuas maligniorum.
 9 Sin tu displiceas, abi, Libelle.
 10 10 Si damnaverit, haud puta placere
 11 11 doctis auribus, o Libelle, posse.
 12 12 Nam vestes aliis dabis poetis,
 13 13 ni docto placeas gravi et Doletto.

DE EODEM.

E1_5 v.1 Orator bonus, et bonus poeta
 2 si quisquam fuit, unus est Doletus
 3 orator bonus, et bonus poeta.

AD JACOBUM COLINUM, AMBROSIANUM ANTISTITEM.

E1_6 v.1 Pocula miscebat Ganymedes sacra Tonanti,
 2 ambrosiasque dapes, munera digna Jove.
 3 Ambrosiane tuum queis pascis fercula Regem,
 4 mel, mustum vincunt, nectar et ambrosiam.

AD EUNDEM.

E1_7 v.1 Ambrosiane Pater tua fac sit cognita virtus,
 2 quae superos digna est sola tenere Deos.
 3 Sit licet usque patens per se tua gloria, nostro
 4 vix fieri ut possit clara labore magis ;
 5 non tamen hoc scelus est laudati scribere laudes,
 6 cum virtus nullo sat queat ore cani.

7 Ut flectunt hominumque juvant praeconia Divos,
8 divina humanum sic quoque scripta juvant.

AD POETAS GALLOS, QUI MULIEBRIA MEMBRA LAUDARUNT.

E1_8 v.1 Femina quid vestra depingitur arte, poetae ?
2 Depingi vivo nulla colore potest.

AD NICOLAUM REGIUM.

E1_9 v.1 Non miror quod te veneretur Regia, laudo
2 sed castos mores regis habere tui.
3 Regius es juvenis re vere, et nomine ; namque
4 rex regit ut populos, sic regis ipse animum.
5 Regius ingenio, forma quoque regius, arte
6 regius et linguis regius et studio.
7 Regia te Pallas, docuit te regia Pytho,
8 a puero excoluit regia membra Venus.
9 Quid ? Te rex regum regis produxit in usus
10 Christus, ut id cupias dissimulare nequis.
11 Non ego sum mendax : facies bene nota probabit,
12 vitaeque pura, gravis hic mihi testis erit.

AD PAPILIONEM.

E1_10 v.1 Res hominum mentesque oculis deus aspicit aequis,
2 in cuius nostra est spesque salusque manu.
3 Non novit vitium, novit nec fallere quemquam,
4 ille etiam nulla fallitur arte Deus.

AD JOAN. BOYSSONEUM.

E1_11 v.1 Quid reges, fora quid sequeris, rerumque tumultus ?
2 Si bene vis posthac vivere, vive tibi.
3 Vive tibi, nec enim est aurum quodcumque relucet,
4 ut prodesse potens, sic tibi obesse potest.

AD IMPERATOREM.

E1_12 v.1 Quo nunc, quo fugies ? Gallus premit atque Britannus
2 te premit, haud uno cingeris ipse loco.
3 A Franco pax est, pax est tibi, Rege petenda.
4 Nulla, aut hac tutus vivere sorte potes

AD CARD. LOTHARINGUM.

E1_13 v.1 Discordes animos regum quod flectere tentes,
 2 quodque ducem studeas conciliare duci,
 3 quod tibi non durum est, duros tolerare labores,
 4 nec pigeat longas saepe iterare vias ;
 5 quod te tot curae Gallorum nomine pungant,
 6 sollicitet nostri te quoque Regis honos,
 7 quod te pacis amor moveat, tibi sola probetur
 8 virtus, quod vitio nil tibi turpe magis,
 9 quod nisi res magnas magni vir nominis optas,
 10 quod majora fide, quae facis, orbis habet ;
 11 quod studium multis, vires nervosque dedisti
 12 scribendi, hoc verae nobilitatis opus.
 13 Ad laudes trahis ipse tuas quod mille poetas,
 14 moribus hoc debet Gallia nostra tuis.

DE DOLETO IN INVIDIOS.

E1_14 v.1 Quid vos ignavum tardumque rudemque Doletum
 2 dicitis ? Hoc non vos, sed vomit invidia.
 3 Huic juveni tantis doctrinae insignibus aucto,
 4 o Deus, o similem me daret esse Deus.
 5 Hujus posteritas operam studiumque probabit,
 6 cui meritas laudes detrahit invidia.
 7 Et tumulo insculptum post tempora longa relinquet :
 8 "Qui jacet hic aliis vivit, et ipse sibi."

AD MAROTUM POETAM.

E1_15 v.1 Grata bonis sunt, grata malis tua carmina doctis,
 2 indoctis tua sunt carmina grata simul.
 3 Hoc magnum pulchrumque puta, nam maxima laus est
 4 posse placere bonis, posse placere malis.

AD FRANCISCUM VALESIIUM, REGEM GALLIAE.

E1_16 v.1 Divinis servatur honos te principe templis,
 2 nec pateris patrum facta priora mori,
 3 nec priscos veterum ritus contemnere vulgus
 4 permittis, taetrum sed scelus esse doces.
 5 Tu nova sacra facis, servas, Francisce, priora,
 6 pharmaca nascenti nosti adhibere malo.
 7 Igne sacro auctores sectarum perdere pergis,
 8 hosque jubes flamma, Galle, piare nefas.
 9 Haec tua testis erit Gallorum Gallia princeps,
 10 praeside te, nullis Gallia tincta malis.

AD ROBERTUM BRITANNUM.

E1_17 v.1 Esse nihil dicis quicquid facis ipse, Britanne,
 2 et tua plus aliis quam tibi scripta placent.
 3 Esse nihil, simul esse aliquid tua scripta, Britanne,
 4 non possent : nihil, aut sunt tua scripta aliquid.
 5 At postquam a doctis passim tua scripta probantur,
 6 esse aliquid dicam, non tua scripta nihil.

AD DOLETUM.

E1_18 v.1 Rhetora te tantum si saecula prisca tulissent,
 2 jam jam immortalis lingua diserta foret.
 3 Saecula si tantum novissent prisca poetam,
 4 jam jam immortalis musa canora foret.
 5 Rhetora sed postquam, simul haec genuere poetam
 6 saecula, noster eris Vergilius, Cicero.
 7 Te tua posteritas Ciceronem saepe vocabit,
 8 teque, ut Vergilium, mente manumque teret.

AD LIBELLUM.

E1_19 v.1 I, fuge Lugdunum sine me liber, i, fuge in urbem,
 2 excipiet prompta Gryphius ille manu.
 3 Te castigandum docto dabit inde Doletus,
 4 cujus censuram sit tibi dulce pati.
 5 Posthaec nasutos contemnes, denique nasos,
 6 atque canum rabiem Zoileasque notas.

AD GRYPHIUM.

E1_20 v.1 Si commendari tibi vis Epigrammata nostra,
 2 commendo, ut possum, carmina nostra tibi.

AD PACUM.

E1_21 v.1 Cum prolem conijx laetissima serret in alvo,
 2 dixisti ridens "Suspikor esse marem."
 3 At postquam partum tristis demisit ab alvo,
 4 dixisti maerens "Femina, non puer est."
 5 Desine successum sortis deflere novercae.
 6 Vix sit, ut ex animo prospera vota cadant.

DE SCRIPTIS DOLETI, AD CLAUD. FURNERIUM.

E1_22 v.1 Commendare volens studium ingeniumque Doleti,
 2 et docti mores consiliumque viri.
 3 Exprimit hic, fateor, voces numerosque locosque,
 4 insignis nervos et Ciceronis habet.
 5 Semper ad exemplum illius se finxit et ipsi
 6 una patrem patriae cura referre fuit.
 7 Quid faciat, noscent cuncti ; quid fecerit ante,
 8 res nota est : specimen praebuit ingenii.
 9 Vivet opus, quodcumque parat, quodcumque parabit,
 10 ipsa velint nolint tempora, vivet opus.
 11 Exactum licet esse neget gens invida, vivet :
 12 huic meritas laudes postera saecla dabunt.
 13 Non nimium curat probet, improbet aemula libros
 14 turba : bonis mavult quam placuisse malis.
 15 Invidiae mores spernit ridetque petulcos.
 16 A vivis vivo gloria rara venit.

AD GIRARD. RUFFUM, EPISCOPUM OLERON.

E1_23 v.1 Cum me inter famulos numeret tua gratia, Ruffe,
 2 quo nullus domino jam miser esse potest,
 3 quis me liberior tali pastore magistro ?
 4 Doctior aut quis me ditior alter erit ?
 5 Jam valeant curae, valeant jam taedia : Christus
 6 prospexit vati consuluitque suo.
 7 Durum erat in tumulto matremque patremque videre,
 8 durum erat insolita condicione premi.
 9 Unus pro gemino pater es sed, Rufe, parente,
 10 et dare, quam gemini, tu mihi plura potes.
 11 Pascebant corpus, pascis cum corpore mentem,
 12 meque beas summis innumerisque bonis.
 13 Carmina nunc scribam priscis vel digna poetis,
 14 qualia vel cupiat composuisse Maro.
 15 Non molles modulos faciam te, Ruffe, patrono :
 16 ingenium Christo serviet omne meum.

DE COMPONENDA PACE, AD MARGARITAM VALESIAM NAVARRAE REGINAM.

E1_24 v.1 O Regina potens, nostri soror unica Regis,
 2 o quae tranquillae munera pacis amas,
 3 o quae sola potes Regum componere motus,
 4 impia quos caecus pellit ad arma furor,
 5 o per quam castos veneratur Gallia mores,
 6 o non humano femina nata toro,
 7 o cui, quod mirum, notae sunt Palladis artes,
 8 o cujus laudes scribere nemo queat,
 9 per te composito redeant fac otia bello

10 et repetat patrias Martia turba domos.
 11 Utile quod noscis regno, ratione magistra
 12 exsequere, et Gallos, qua licet arte, juves.
 13 Utilius nihil est cunctis, nil pace putandum,
 14 fac igitur vincto proelia Marte vacent.
 15 Communis cum sit labor et sors lubrica belli,
 16 quid juvat audaces conseruisse manus ?
 17 Quid prodest socias ferrum distringere in urbes ?
 18 Quid de cognato sanguine palma juvat ?
 19 Justior, et melior Gallorum causa ; sed omni
 20 grata magis bello pax solet esse bonis.
 21 Quid juvat ? Ah revocat me dicere plura volentem
 22 Musa "Tace, exclamat, Margaritis ista sapit."

AD EAMDEM.

E1_25 v.1 Quae semel optatae studuisti reddere pacis
 2 otia, redde iterum : reddere sola potes.

AD MAROTUM POETAM.

E1_26 v.1 Ut numquam tulerit praeclaros Gallia vates,
 2 te vivo, et domus et patria Pieridum est.
 3 Seque tuis numeris tantum debere fatetur,
 4 quantum nec blando filia blanda patri.

AD HENRICUM FUXEUM LAUTRECUM.

E1_27 v.1 Cresce, puer, patris vitam intueare necemque,
 2 qui vixit patriae, pro patria occubuit.
 3 Armis ornatus vivens, nunc obrutus urna.
 4 Hostes qui potuit vincere, fata nequit.
 5 Illius observes mentem moresque genusque :
 6 ex hoc disce, puer, rerum hominumque vices.

DE SEIPSO.

E1_28 v.1 Paupertas inimica mihi est, fortuna noverca :
 2 semper ut indignum sors inimica fugit.
 3 Plus aliena mihi, mea quam peccata, pudoris
 4 incutiunt, tamen haec omnia ferre, leve est.

AD MARGAR. VAL. NAVARRAE REGINAM.

E1_29 v.1 Olim moris erat teneras nil scire puellas,
 2 praeterquam gracili volvere fila manu,

3 praeterquam fusos et acus et lina colosque
 4 tractare, et variis nectereserta rosis.
 5 Longe alios nostro sequitur sed tempore mores
 6 femina, cui cedit paene virilis honos.
 7 Haec muliebrenumgenus tibi debet munera : per te
 8 femina namque hodie si sapit, illa sapit.

AD SUSTRIUM.

E1_30 v.1 Quod misero dives juncta est tibi Julia, Sustri,
 2 non facit hoc virtus, mentula longa facit.

DE COMMENTARIIS LINGVAE LATINAE A DOLETO EDITIS.

E1_31 v.1 Quo duce sermonem discit gens Galla Latinum ?
 2 Hanc docet, hanc Gallus verba Latina loqui.
 3 Haec uni Gallo laus est referenda Doletto,
 4 in medio posuit qui Ciceronis opes.

AD PETRUM CASTELLANUM.

E1_32 v.1 Dum per barbaricas vagaris urbes
 2 o Graeci et Latii decus verendum
 3 sermonis, sequitur tuos, Minerva,
 4 gressus per mare, per solum, regitque
 5 assistens lateri carens euntem.
 6 Musarumque cohors vias recludit,
 7 succedunt Charites, Jocusque, Amorque,
 8 et quicquid Venerum est Cupidinumque,
 9 quae curas minuant, levent dolores,
 10 tollant taedia, si quid est molesti.
 11 At nos interea cohorte laeta
 12 Musarum et Charitum jocos caremus,
 13 quas secum comites trahit Minerva.
 14 Sed cum te reducem datum est videre, et
 15 ad Gallos rediisse nuntiatum,
 16 ecce illa omnia plus satis redundant
 17 Musarumque chorus redit, Jocique,
 18 et blandae Veneres Cupidinesque,
 19 quas secum comites habet Minerva.

ODDETI FUXEI LAUTRECI EPITAPHIUM.

E1_33 v.1 Quis lugere satis Lautreци funera possit ?
 2 Hunc nullae lacrimae, lumina nulla queunt.
 3 Vivere si posset lacrimis redimique querelis,
 4 et quaestu et lacrimis Gallia plena foret.

5 Commodus hic patriae nullo non tempore vixit,
 6 utilis atque foris utilis atque domi.
 7 Illum regis honos Calabrum inflammavit in hostem,
 8 pro regno interiit regis amore sui.
 9 Dum Gallos armis patriamque tuetur ab hoste,
 10 hunc procul a patria, patria dura rapit.

AD VIDUM LAVALLUM, INDOLIS SPECTATISS. ADOLESCENTEM.

E1_34 v.1 Mars te bella sequi, divinae Palladis artes
 2 Mercurius docet : hic te trahit, ille rapit.
 3 Mars laudem famamque jubet te quaerere bello,
 4 tutari et Regis regna superba tui.
 5 Mercurius pacem proponit, dona Minervae,
 6 et Venerum et Charitum Pieridumque choros.
 7 Quid faciam, dicis ? Sequere ipse incommoda Martis,
 8 commoda Musarum, sudor uterque levis.
 9 Una manus ferrum, placidos ferat altera libros :
 10 sic facies Marti Mercurioque satis.

AD GULIELMUM LATERANUM.

E1_35 v.1 Graecarum decus elegantiarum,
 2 atque idem Latii decus leporis,
 3 multum gaudeo, quod tibi probentur
 4 versus, quos tenui mea ausa Musa est
 5 plectro ludere. Nunc procul timorem
 6 pello et tristitiam, atque onus dolorum,
 7 ac summum capio mei laboris
 8 fructum, quod decus eloquentiorum
 9 nostras et probet et juvet Camenas.

DE PHILANDRI FONTANA ET GENISTA.

E1_36 v.1 Casta Genista placet, grata est Fontana ; perurit
 2 haec animum, illa oculos : haec regit, illa domat.
 3 Ambae divino demulcent pectora vultu,
 4 ambae oculos pascunt corque animumque meum.
 5 Ambae optant me, ego quaero ambas ; haec diligit, illa
 6 diligit ; haec me vult, vellet et illa virum.
 7 Urgeor ambabus, placet altera et altera grata est :
 8 cultus in ambabus parque eademque fides.
 9 Utraque formosa est, una est castissima, talis
 10 altera, quid faciam ? Cogar amare duas ?
 11 O me infelicem, mihi plus satis una fuisset,
 12 me miserum, cogor cur ego amare duas ?
 13 Dura Venus, damnosa Venus, tu saeve Cupido,
 14 saeve Cupido tuas comprime, quaeso, faces.

15 Si potes, inter nos compone, aut contine amores,
16 aut tu, si nequeas, fac teneam, quod amo.

AD CUPIDINEM. PHILANDER LOQUITUR.

E1_37 v.1 Unum me geminum aut geminas quid non facis unam ?
2 Quas amo me quoque amant : ut pereunt, pereoo.

DE UTRAQUE.

E1_38 v.1 Limpidulum emittit fontem Fontana, Genista
2 florem, quae claro lucida sole magis.

AD EASDEM. PHILANDER LOQUITUR.

E1_39 v.1 In fonte, o Fontana, tuo magis ac magis uror,
2 mergor et in croceo flore Genista tuo.

AD FONTANAM.

E1_40 v.1 O Fontana, tuus fons mergit, et urit amantem,
2 ignis et ex oculis missaque gutta fluit.
3 Dum video, inflammor : flamma haec mihi suscitatur undam.
4 Sic fit, aqua in me ignem suscitatur, ignis aquam.

IN SOMNICULOSUM JURIS AUDITOREM.

E1_41 v.1 Auditor dormis ? Faciles quin porrigis aures ?
2 Auditor tantum nomine, re nihil es.

IN EUNDEM.

E1_42 v.1 Jura petisne, aut jura fugis ? Si jura requiris,
2 plus vigila ; at dormi, si pia jura fugis.

AD GULIELMUM FABRICIUM.

E1_43 v.1 Munera tres tria dant Juno Pallasque Venusque,
2 divitias, artes, corpus et eximium.

AD EUNDEM.

E1_44 v.1 Artes dat Pallas, formam Venus, at tibi Juno

2 servat opes : summi sunt bona summa viri.

AD BRITANNUM.

E1_45 v.1 Hora tibi vitam reddet reddetque salutem,
 2 haec eadem morbum leniet hora tuum.
 3 Hora tibi patriam reddet patriosque penates,
 4 hora tibi matrem reddet et hora patrem.
 5 Hora tibi fratres reddet, reddetque sorores,
 6 hora tuis reddet teque tuosque tibi.
 7 Hora tibi duros franget tolletque labores,
 8 horaque post noctes suggeret una diem.
 9 Hora adimet luctus, et proferet omnia laeta,
 10 horaque post poenas praemia grata dabit.
 11 Hora tibi reddet suppressis gaudia curis,
 12 hora Deis junget teque, Deosque tibi.

AD SYLVIUM.

E1_46 v.1 Civilem mentem civili in pectore Sylvi.
 2 Quid, quaeso, a sylvis ? Nil nisi nomen habes.

AD BELSARIUM JUVENEM BURDIGALENSEM.

E1_47 v.1 Aetate, ingenio, forma, virtute, parente,
 2 moribus, insigni nobilitate viges.

IN CARPAURIUM.

E1_48 v.1 Tu qui carpendo nomen sortiris ab auro,
 2 quid carpens doctos teque tuosque teris ?
 3 Carpe aurum, et doctum Doctorem carpere noli,
 4 qui te (vis dicam ?) est doctior, et melior.

DE QUODAM, QUI LEGUM STUDIUM STABULUM DICEBAT.

E1_49 v.1 Qui studium stabulum dixit, porcum esse putarem ;
 2 nam stabulum mavult quam stabile hoc studium.

DE QUINTIL. CASTIGAT.

E1_50 v.1 Qui mutilus fuerat, lacerus, corruptus inique,
 2 integer et tersus Quintilianus erit.

DE FAB. QUINTILIANO.

E1_51 v.1 Dux fuit, est et erit Fabius, quo principe tuti
 2 armatum imbelles exsuperare queunt.
 3 Hic Fabius Fabiis longe est praestantior unus,
 4 certando hostili qui periere manu.
 5 Hic Fabius victor victores vincit, et illi
 6 quod gladio nequeunt vincere, voce potest.
 7 Hic Fabius potuit Fabium ditare loquacem
 8 eloquio, ac docte scribere, pauca loqui.
 9 Hic Fabius Latiae linguae praeceptor honosque
 10 Romani Imperii Quintilianus erit.

AD CLINIAM.

E1_52 v.1 Quae violas violis mentem violentius, oro,
 2 ne violer violis : fac violes violas.

CLINIA RESPONDET.

E1_53 v.1 Qui vultum vultu, Vultei, ardentius uris,
 2 illa meas violas fac tua flamma voret.

IN QUAMDAM LAESA PUDICITIA.

E1_54 v.1 O violata vale, vale o violenta. Placebas
 2 inviolata, noces nunc violata mihi.

DE SEIPSO.

E1_55 v.1 Displiceo et placeo mihi jam, sed nescio quare.
 2 Cur, scio, displiceam ; nec scio cur placeam.

AD FERRERIUM.

E1_56 v.1 Praediolum volui, Ferreri, visere tecum,
 2 janua aperta tibi, janua clausa mihi.
 3 Immeritum num sic excludit amicus amicum ?
 4 Nec nocuisse velim, nec nocuisse puto.

IN CAECUM REPRAEHENSOREM.

E1_57 v.1 Ante oculos tenuem festucam cernis amici,
 2 nec tua, stulte, vides lumina pressa trabe.

IDEM AD EUNDEM.

E1_58 v.1 Qui ante oculos fratris festucam cernis acute,
2 ante tuos quid non conspicias esse trabem ?

AD BRITANNUM.

E1_59 v.1 Cum voco te doctum, tibi res odiosa, Britanne ;
2 cum voco te indoctum, res odiosa tibi.
3 Grammaticum appello, sumne hoc tibi nomine gratus ?
4 Rhetora te dicam, num tibi gratus ero ?
5 Juris prudentem scribam pingamque poetam,
6 num quoque te dignum nomen habere putas ?
7 Respondes, homo sum miser et peccator inanis,
8 sum quod sum, grato munere caelicolum.

DE TARTESIO.

E1_60 v.1 Tres habuit fratres quondam Tartesius ille,
2 quattuor is quibus est unica juncta soror.
3 Ex illis periire duo : Tartesius ambos
4 ridendo aggesta contumulavit humo.
5 Anne suos fratres ridet periisse ? Rogatus
6 a populo, duros mittit ab ore sonos.
7 "O utinam mihi qui fraterque sororque supersint,
8 illa cumque aliis contegerentur humo."
9 Fratribus o durum fratrem, o turpissima dicta,
10 factum o Tartareis perpetuisque malis.

AD PETREIUM.

E1_61 v.1 Bellus es et doctus, dives sanusque : quid obstas
2 quin cunctos vincas ? Officit ipse labor.
3 Tu scribis, pingis, loqueris dicisque diserte,
4 quin superas cunctos, impedit ipse labor.
5 Humanas leges operosa volumina volvis,
6 quin vincis cunctos, officit ipse labor.
7 Divinos canones recitas velut alter Apollo,
8 quin cunctos superas, impedit ipse labor.
9 Tempus habes, nummos, sanamque in corpore mentem,
10 quin cunctos vincis, officit ipse labor.
11 Otia contemnas, durum amplexare laborem,
12 utilis ille tuis, utilis ille tibi.
13 Assiduos pergas quod si tolerare labores,
14 tu cunctos vinces, quos numerare labor.

AD MAROTUM.

E1_62 v.1 De grege pastoris pecudes cognoscere nescis
2 esse boni ? Impressam, te rogo, cerne crucem.

AD MAECENATEM.

E1_63 v.1 Jani Maecenas tandem rediere Calendae.
2 Ecce ex more mihi munera laeta paras.
3 Haec tibi, Maecenas, do munera pauper in hamo,
4 aurum ut commutes versibus ipse meis.
5 Non possum, fateor, tibi mittere magna, poeta
6 Vulteiis nihil hic, quod dare possit, habet.
7 In caelum extollam vires mentemque pudicam,
8 si modo quid possim scribere clarus eris ;
9 atque tuos mores vitamque genusque domumque
10 gaudebo miris tollere ad astra modis.
11 Illustrant homines divina poemata vatum,
12 excitat ad summos Musa sonora gradus.
13 Retia sunt, magni quicquid scripsere poetae,
14 donaque pro parvo munere magna petunt.
15 Ergo age dona peto, sed quae sunt parva, jacentem
16 Vulteiium studiis officiisque juves.
17 Et numquam lacerum patiaris vivere, qui te
18 non cessat precibus sollicitare suis.
19 Da, rogo, quod petimus ; reddam pro munere carmen,
20 incumbam ad laudes emoriarque tuas.

AD EUNDEM DE SUPERIORIBUS VERSIBUS.

E1_64 v.1 Scripta prius jungas, Maecenas optime, villam,
2 nomen et auctoris prima elementa docent.

EPITAPHIUM VIRI IMPII.

E1_65 v.1 Contemptor fidei, vitae corruptor honestae,
2 fons et origo mali clauditur hoc tumulo.

TUMULUS CUIUSPIAM ANTONII.

E1_66 v.1 Cunctorum jacet hic Antonius ansa malorum,
2 qui tegit hunc vitium continet omne lapis.

EPITAPHIUM A. BRATANI.

E1_67 v.1 Bratanus jacet hic Antonius, invida fata

2 quem rapuere malis, prospera fata bonis.
 3 Intumuere ignis, caelum mare, sidera, terra,
 4 intumuere homines, intumuere ferae.
 5 Intumuit locus, intumuit lapis ipse sepulchri,
 6 intumuit tumulus, urna patens tumuit.
 7 Intumuitque boum vox horrida facta per urbem,
 8 intumuere canes, intumuere lupi.
 9 Ex uno intumuere omnes Regesque, Ducesque,
 10 qui quovis fuerat paupere pauperior.
 11 Miraris tumidos tumido de paupere Reges ?
 12 Quae rapuit vivens, reddidit emoriens.
 13 Et ventre et venere intumuit rebusque secundis,
 14 intumuit vivus, mortuus intumuit.
 15 Intumuit vitiis, legum corruptor avarus,
 16 fraude, dolo, cunctis intumuitque malis.
 17 In tumulo ad tumulum vermes tumuere, cadaver
 18 exesum multis vermibus intumuit.
 19 Quod si forte petas, tota quid in urbe feratur ?
 20 Clauditur hoc non vir, sed tumulus tumulo.

AD BOYSSONEUM PRO STRENIS.

E1_68 v.1 Formosas violas, aurum gemmasque Calendis
 2 Jani pro strenis det tibi, quisquis habet.
 3 Non ego do flores, violas, pereuntia dona,
 4 sed tibi, quod prius est, corque animumque meum.

AD PETRICIUM FRANCIANUM.

E1_69 v.1 Dum pateris, superas, vincis, dum victus haberis :
 2 nam Christo vinci sub duce nemo potest.
 3 Impietas pietate, dolus virtute, scelusque
 4 pellitur, et probitas simplicitasque valent.

AD STEPHANUM DOLETUM, DE COMMENTARIIS LINGUAE LATINAE.

E1_70 v.1 Jamque, Dolete, dolet mihi, quod tua scripta retardes,
 2 quod nos tam longa discruciesque mora.
 3 A Gallo exspectat Latio sermone volumen
 4 Itala gens, illud Gallia nostra cupit.
 5 Quin properas, studii ut possis decerpere fructum ?
 6 Nil mihi, nilque aliis gratius esse potest.

AD EUNDEM.

E1_71 v.1 In lucem venient, venient tua scripta, Dolete,
 2 aeterno dignum nomine surget opus.

3 Te tua mens, tuus ipse labor, tua lingua beatum,
4 auctum et perpetuis laudibus efficient.

AD FRANC. DUCAEUM.

E1_72 v.1 Nosce Deum, puer atque habeas in honore parentes,
2 legibus inservi justitiamque cole.

IN MARTINIUM.

E1_73 v.1 Admissum quod turpe patet, laudabile raro :
2 ut caeles alios, tu tibi tortor eris.

IDEM.

E1_74 v.1 Pessime cum peccas, claude ostia, junge fenestras,
2 unus adest Christus, qui tua facta videt.

AD CHRISTOPHORUM REGNESSONUM.

E1_75 v.1 Assequitur laudem nullo discrimine felix,
2 qui doceat cunctos quod facit ipse bonum.

DE CLINIA.

E1_76 v.1 Me nive candenti petiit modo Clinia, rebar
2 igne carere nivem, nix tamen ignis erat.

IN QUENDAM DEPOSITA BARBA.

E1_77 v.1 Crinitus nuper barba venerandus obibas,
2 corporis atque tui gratia rara fuit.
3 Nunc postquam centum tibi cruda novacula rasisit,
4 cum barba vultus gratia tota perit.
5 Contra naturam numquam contendere debes,
6 proferet invito quae bona multa tibi.

DE SEIPSO. CLINIA LOQUITUR.

E1_78 v.1 In nos verte tuum, Vultei candide, vultum,
2 vultum, qui nostris est medicina malis.
3 Aspice languentem, morientem cerne puellam,
4 quam medicina nequit, tu relevare potes.
5 Vultei fer opem, tua te carissima poscit.

6 Ni faveas, languens et premor, et perimor.

AD DUCAEUM.

E1_79 v.1 Exspectas vitae sanctissima dona secundae ?
2 Nil vitio verti quod tibi possit habe.

AD MARANDUM.

E1_80 v.1 Si nihil est nobis possis quod scribere, scribe
2 hoc unum, nobis scribere posse nihil.

AD EUNDEM.

E1_81 v.1 Arguis et spernis, rides tua teque, Marande ;
2 si juste, bonus es, sin, malus ipse, male.

AD FERRERIUM.

E1_82 v.1 Cur scribam, nequeo, Ferreri, scribere causam ;
2 nec possum causam dicere cur taceam.

AD MARCUM.

E1_83 v.1 Vis dicam tibi quid cupiam pro munere, Marce ?
2 Det bona multa tibi, det mala nulla Deus.

AD PESSIMUM.

E1_84 v.1 Pessime pessimus es, testis tua vita genusque
2 et patria et mores, nomen et acta probant.
3 Nam velut omne bonum sapiens meditatur, amatque
4 omne malum, dubitet pessime nemo, facis.

DE MARANDO.

E1_85 v.1 Urgebat quondam pelagi fortuna Marandum,
2 qui perna et salsa carne oneratus erat.
3 Frangitur arbor, aquas sorbet disjuncta carina,
4 et plorans superum quisque requirit opem.
5 Corrodens, ridens, graviora pericula temnit,
6 ac si non esset tunc periturus aquis.
7 Cur comedit poscunt alii, causamque requirunt,
8 respondet "Quia sum nunc bibiturus, edo."

RIDICULA QUAESTIO.

E1_86 v.1 Quare, si quemquam clamamus, dicitur "Heus tu" ?
 2 Et, qui respondet, consonat ille "ego sum" ?
 3 Si quisquam cupiat rationem nosse, docebo,
 4 et dicam, dicat dum prius ille mihi.

IN GIOSSUM.

E1_87 v.1 Si dignus flagris solus memoretur in orbe,
 2 is dignus flagris nonne Giossus erit ?
 3 Si dignus laqueo solus numeretur in orbe,
 4 is laqueo dignus nonne Giossus erit ?
 5 Si dignus flammis quisquam credatur in orbe,
 6 is dignus flammis nonne Giossus erit ?
 7 Si brevibus Giaris, manicis et compede dignus,
 8 is Giaris, manicis, compede dignus erit.
 9 Flagra, crucem, flammam, pestem, tormenta rotasque
 10 ignotum meruit suppliciique genus.

AD CLINIAM.

E1_88 v.1 Tu sine me, sine te nec possum vivere, nam tu
 2 pars vitae atque ego sum dimidiata tuae.
 3 Quicquid enim facio, sine te nihil esse putatur ;
 4 hoc sine me vanum quicquid et ipsa facis.
 5 Quod meditor sine te vanas vanescit in auras,
 6 illa etiam, sine me quae meditare, fluunt.

IN STULTOS AGRICOLAS.

E1_89 v.1 Agricolae Cereri spicas dant, sarta Lyaeo,
 2 dant nivei lactis munera grata Pali.
 3 Pro quibus et segetes vinumque et pabula laeta
 4 quaerunt, hosque putant haec dare posse deos.
 5 O vanos hominum sensus, o pectora caeca,
 6 barbara barbaries, rusticitasque rudis.
 7 Non Cereris, non dona Palis, non munera Bacchi,
 8 sed sunt supremi maxima dona Dei.

AD MORETTUM.

E1_90 v.1 Sunt qui te appellant Maurum, vocitantque Morellum,
 2 Morum alii indocte saepe vocare solent.
 3 Falluntur : Morus, Maurus, non deinde Morellus,

4 moribus a comptis nempe Morettus eris.

DE DOLETO.

E1_91 v.1 Turpis olet foedum, sapit atque Doletus oletum,
 2 foetidius foedo stercore stercus olet.
 3 Istud ait praedura bonis gens, barbara doctis,
 4 urbs male sana bonis, urbs bene sana malis.
 5 Mentitur gens stulta, rudis, gens aspera, demens,
 6 iudicio fallax fallitur ipsa suo.
 7 Noster olet Ciceronis opes spiratque Doletus
 8 divitias, Flacci scripta, Maronis opus.

AD AUCTUM.

E1_92 v.1 Aucta domus, mens aucta tibi, res aucta genusque,
 2 auctum (quid multis ?) nomen et, Aucte, tuum est.
 3 Aucta malis domus, aucta dolis mens, aucta procellis
 4 res tua, criminibus nomen et, Aucte, tuum.
 5 Quid sibi vult aliud mentis generisque domusque
 6 auxesis quam quod te minuitque tuos ?
 7 Auctum qui alloquitur, tacito sub pectore volvit,
 8 actor adest, auctor duxque comesque mali.

AD CARUM.

E1_93 v.1 Care, tibi caros nec amas, nec diligis ipse,
 2 hoc unum quare, dic mihi, Care, facis ?

AD LYGEUM.

E1_94 v.1 Poscebam centum, mittis sestertia quinque ;
 2 saltem dimidii porrige dimidium.

AD DOLETUM.

E1_95 v.1 Mittebas quondam modulos, munuscula nobis,
 2 munera grata mihi, carmina grata magis.
 3 Nec versus mittis nobis, nec munera. Quid quod
 4 ipse modum modulis muneribusque facis ?
 5 Quis rogo tam durum ? Quis tam facit esse superbum,
 6 quod cessas versus mittere ? Dona dare ?
 7 Non dedimus causam, nulla te laesimus arte :
 8 officii memorem te precor esse tui.

IN PARCUM.

E1_96 v.1 Non tibi, non aliis parcis famaque, bonisque,
 2 Parce, hodie parcus, cras, puto, porcus eris.
 3 Nec matri, sociis, fratri, non parcis amicis,
 4 nec superis parcis, semideisque viris.
 5 Nec tu viventi parcis, parcisque sepulto,
 6 vis numquam summo parcere Pontifici.
 7 Parce, precor, famaque parcas, parcasque pudori,
 8 si non vis aliis parcere, parce tibi.

AD POTTERIUM, DE MAECENATE.

E1_97 v.1 Cum potuit, voluit : voluit, cum velle volebam,
 2 afflictis rebus semper adesse meis.
 3 Consilio, rebus, studio, virtute, favore,
 4 adfuit, et summum praestitit officium.

MISER.

E1_98 v.1 Is cui nemo placet miser est, me iudice ; vel sic :
 2 qui nec amat miser is, qui nec amatur, erit.

IN CASTUM.

E1_99 v.1 Impuros oculos vultumque manusque pedesque,
 2 impurum impuro quicquid ab ore fluit.
 3 Impuram mentem vitioso in corpore nutris,
 4 tu quid habes castum dic rogo, Caste ? Nihil.

LAESA PATIENTIA FIT FUROR.

E1_100 v.1 Qui patitur, vincit ; tandem patientia laesa
 2 fit furor, et patiens fit furiosus homo.

NUMQUAM PERICULUM SINE PERICULO VINCITUR.

E1_101 v.1 Maxima pelluntur numquam absque pericla periclis ;
 2 proxima nam summis saepe ruina malis.

DE FRANCORUM REGE, ET QUODAM ITALO.

E1_102 v.1 Regi Romanus dixit "Te mense disertum,
 2 Rex, solo reddam rhetora, grammaticum."
 3 "Rhetora, grammaticum non reddes, Rex ait, altum

4 esse sat est Regem, sors facit illa satis."

DE EODEM FRANCORUM REGE AD EUNDEM.

E1_103 v.1 "Exigis, ut tibi dem mercedem, garrule, quare
2 ut doceas Latio verba sonare modo ?
3 Hoc faciam, mihi si dederis sestertia mille,
4 ut linguam possis, garrule, nosse meam."

VIVENDUM LAETE.

E1_104 v.1 Este procul curae, pereat qui crastina curat ;
2 vive hodie felix, cras moriere miser.

IN FURCAM SICARIUM.

E1_105 v.1 Occidis justos. Factum male, Furca. Quid inde ?
2 Occidis justos, ast ea nemo videt.
3 Tu jugulas doctos, res improba, Furca. Quid inde ?
4 Tu jugulas doctos, ast ea nemo videt.
5 Orphanos spolias, infandum, Furca. Quid inde ?
6 Orphanos spolias, ast ea nemo videt.
7 Denudas viduas : turpe hoc tibi, Furca. Quid inde ?
8 Denudas viduas, ast ea nemo videt.
9 Hos sepelis tamquam nemo conspexerit ; atqui
10 justitiae est oculus, qui tua facta videt.

AD HENRICUM FRATREM.

E1_106 v.1 Aedificare domos, multorum et pascere ventres,
2 ad paupertatem prompta, parata via est.
3 Sint tibi divitiae, sint praedia multa : quid obstant,
4 quin fias Codrus, qui modo Croesus eras ?

DE CONSULTO ET CONSULTORE, EX GRAECO.

E1_107 v.1 Consultum nuper tristis consultor adivit,
2 consultor vellet quidque rogatus ait.
3 Servam vicinus fugientem repperit. Illam
4 cum servo junxit, conscius esse meam.
5 Juncta mares peperit geminos geminasque puellas :
6 "Dic, quaeso, ane mei pignora juris erunt ?"
7 Anceps consultus quaerenti talia reddit,
8 "Nil opus est verbis, illius, aut tua sunt.
9 Causam habeas justam (faveat tibi si modo iudex)
10 causam non perdes, qui modo victus eras."

IN CHERADAEMUM.

E1_108 v.1 Sordidus, obscaenus, tristis turpisque furensque,
 2 indoctus, vilis, sed Cheradaemus amat.
 3 Excitat hic risum, cunctisque est fabula, famam
 4 prostituit populo, sed Cheradaemus amat.
 5 Contemnunt, rident, fugiunt, spernuntque puellae
 6 impurae, castae, sed Cheradaemus amat.
 7 Quid sibi vult Cheradaemus amat, nec amatur ab illis,
 8 quas amat ? Hoc cogit me reticere pudor.

IN LUSCUM.

E1_109 v.1 In me conscribit ridenda poemata Luscus.
 2 Si pergat versus scribere, caecus erit.

DE GALLO ET GALLA.

E1_110 v.1 Prima nocte viro scabiem dat Galla nocentem,
 2 Gallae dat ficos Gallus, uterque perit.
 3 Quam dignus tali fortuna Gallus habetur,
 4 quam tali conjux conjuge digna fuit.

IN PESSIMOS CONJUGES.

E1_111 v.1 Pessimus est Francus, Franci quoque pessima conjux,
 2 vir, mulierque pares : jam bene conveniunt.
 3 Languidus est Francus, Franci quoque languida conjux,
 4 vita sunt similes, tam bene conveniunt.
 5 Ficosus Francus, ficosaque femina Franci.
 6 Hic dolet, illa gemit, jam bene conveniunt.
 7 Dissimilis res est, uxor ditissima, Francus
 8 pauperior Codro : non bene conveniunt.

AD JUNIUM RABIRIUM.

E1_112 v.1 Mondolus invidia disrumpitur, optime Juni,
 2 quod me defendas, frangitur invidia.
 3 Mondolus insanit, quod sim tibi carus amicus,
 4 quod vivam tecum, frangitur invidia.
 5 Mondolus insanit, quod ames mea scripta probesque
 6 et vitam et mores, rumpitur invidia.
 7 Mondolus insanit sub tanto pondere legum :
 8 Non dedigneris quod peto perficere.
 9 Rumpatur, pereat, frangatur Mondolus ille,

10 corrodat, laceret, me nihil ista movent.

AD PAULAM.

E1_113 v.1 Quod modo Paula cupis, non possum nubere ; verum
2 si paulum exspectes, Paula, paratus ero.

AD MARAFINIAM.

E1_114 v.1 Faustinam, Gallam, Cleopatram carmine Marcus,
2 Penelopen violam, Luciolamque canit.
3 Et Lydam, Laedam, Pollamque, et Thaida, Paulam,
4 deinde Afram, Phillin atque Hecubam, Nioben,
5 Julia Pompei ridetur, Portia Bruti,
6 Bassa jacet, nulli est grata Labulla viro.
7 Vetustina patet, Lalage, et turpissima Tulla est,
8 quattuor et dentes Aelia gestat anus.
9 Lucia, dum futuit, casto placet ipsa Poetae,
10 denegat haec cunnum. Lucia turpis abit.
11 Perdidit ad Baias castum Levina pudorem,
12 Nigrinam scribit sollicitare viros.
13 Parthenis, et Lucilla pares, Matrinia dispar :
14 corpore contracto mortua, non vetula.
15 Antullam extollit, Thelesinam deprimit atque
16 Christillam cristas tollere velle dolet.
17 Naevia, Flora, Chion, Sempronia, Lesbia moechae,
18 et Proculeia procos luxuriosa trahit.
19 Claudia, Alauda merent, Caesonia, Lygia fellant,
20 Marcellam vates tollit ad astra suam.
21 Pallacae Fabiana, Theophila et Arria et Ida,
22 raraque cum casto est femina casta viro.
23 Quid multis ? Vates nullas sine crimine pingit,
24 rara avis in terris femina casta volat.

DE RAVISIO TEXTORE.

E1_115 v.1 Ravisius textor textores vicit ad unum,
2 et telas textor texuit eximias.
3 Testantur summi numerosa poemata vatis,
4 testatur summus, quem tulit, ipse labor.
5 Contexunt alii lanas aut serica fila,
6 texuit ex variis fila operosa libris.
7 Textoris prostant clari monumenta laboris,
8 qui cunctas artes texuit arte sua.

AD BRITANNUM.

E1_116 v.1 Quae tulimus renovare jubes tormenta, Britanne,
2 nec renovare queam, nec renovare velim.

AD HENRICUM FRATREM.

E1_117 v.1 Si te delectant graviora pericula, tandem
2 e vitae et subitae semina mortis erunt.

AD CLAUD. CHOMARDUM.

E1_118 v.1 Cum pingis docte scribisque Epigrammata docte,
2 et mutum et vivum, crede, poema facis.

AD JUN. RABIRIUM.

E1_119 v.1 O Juni, mea mens, mea lux, mea vita, Rabiri.
2 Juni, pars vitae, pars animaeque meae.
3 Scripsisti summa de vestibus arte volumen,
4 clarius aut quo nil cultius esse potest.
5 Veste cares, intrat penetrabile frigus in artus,
6 villosam cur non dat Liber endromidem ?
7 Quid quereris, gelidasque tibi tritasque lacernas,
8 cum fuerit de tot vestibus una satis ?
9 Dat Liber horridulo non aspernanda Decembri
10 munera, dat vestes, corpora nuda tegit.

BURGIUS, DE SEIPSO.

E1_120 v.1 Aureolos licet ipsa decem fortuna novercans,
2 carta licet loculos hauserit una graves.
3 Non tamen ad lacrimas fugiam, sed damna docebunt
4 cartarum lusu turpius esse nihil.
5 Nunc legum reddor studiis, nunc jura requiro,
6 cum Musis gratum est plectra movere meis.
7 Ludite, plena dolis quibus est mens, ludite, stulti :
8 ludere turpe mihi me mea damna docent.

IN FRONTE JUSTINIA. CODICIS.

E1_121 v.1 Justinianus adest, qui legum arcana revolvit,
2 quique elementa aperit, Justinianus adest.
3 Multa refert paucis, obscurae aenigmata legis
4 continet, et parvo venditur aere liber.

IN CICERONEM EX SALLUSTIO.

E1_122 v.1 Cum tibi juncta viro formosa Terentia Tulli est,
2 tulliolam Cicero cur Ciceronis amas ?

PONTII VULTEII PATRIS ET ISABELLAE MATRIS EPITAPHIUM.

E1_123 v.1 Lector ades, patris ad tumulum matrisque morare,
2 res nova digna oculis, digna tuis lacrimis.
3 Pontius in tumulo jacet hic Vulteius, eodem
4 cum casto tegitur casta Isabella viro.
5 Urna duos habet, urna duos tegit, una parentes,
6 una duos junxit, sustulit hora duos.
7 Una duobus erat probitas virtusque fidesque,
8 una domus vivis, mortis et una domus.
9 Unica mens, unum corpus, sanctumque cubile,
10 nolle aut velle unum, corque duobus erat.
11 Purus amor talisque utriusque in pectore candor,
12 in morte et vita (credo) fuere pares.
13 Tam subiti occasus causam cognoscere gestis ?
14 Vir causam uxori dat, mulierque viro.
15 Qui legis insolita motus novitate viator,
16 qui legis ista, precor, da lacrimas tumulo.
17 Qui legis, humanae memores incommoda sortis,
18 consilium occultum iudiciumque dei.

AD SCAEVAM.

E1_124 v.1 Humanas vires laceras carnemque labore,
2 saevaque fers patiens vulnera Scaeva dari.
3 Nae tu saevus homo es : re vere, et nomine Scaeva
4 saevus es ipse tibi, blandus es ipse aliis.

IN FATUUM.

E1_125 v.1 Cum voco te fatuum, futuum voco, blaesaque lingua est,
2 nam futuum conor dicere, non fatuum.

AD MAECENATEM.

E1_126 v.1 Mittere saepe soles amplissima dona, remitto
2 nil nisi cum nugis carmina vana meis.
3 Magna nimis mittis Maecenas optime dona,
4 magnaque cum possis mittere, parva potes.
5 Sed nec parva juvant, quaedam mediocria posco,
6 inter utrumque volans fac moderatus eas.

7 Parvaque pro tantis (nam mittere magna volentem
8 fata negant) mittam : post meliora dabo.
9 Parque pari referam, pensabo et munere munus,
10 si mihi det Christus, quod dare posse putem.

AD SYMPHORIANUM DURAZIUM.

E1_127 v.1 Nobilis es, clarus majorum stirpe tuorum,
2 nobilitat Pallas, Symphoriane, magis.
3 Clara domus, gens clara fuit clarique parentes,
4 nobilitat Pytho, Symphoriane, magis.
5 Fama patris matrisque tuae dispersa per orbem,
6 nobilitant mores, Symphoriane, magis.
7 Nobilitant, fateor, generis primordia clari,
8 nobilitant artes, Symphoriane, magis.
9 Aurum habeas licet argentumque et rara metalla,
10 nobilitat probitas, Symphoriane, magis.
11 Clara domus, gens clara, patrum sint stemmata clara,
12 sola beat virtus nobilitatque virum.
13 Ergo age, quaere puer clarum per saecula nomen.
14 Fac, peto, sit tua lux lumine clara tuo.

AD HENRICUM FRATREM.

E1_128 v.1 Si bona sit conjux, tu terque quaterque beatus ;
2 si mala sit, frater, terque quaterque miser.

IDEM.

E1_129 v.1 Vel bona, vel mala sit conjux (sic esse necesse est),
2 si bona, tu dives, si mala, pauper eris.

IDEM.

E1_130 v.1 Optima si conjux, tibi mel, tibi rara voluptas ;
2 pessima sit, certo certius exitium.

IN MONDOLUM.

E1_131 v.1 Vulteio faciem laetam, vultumque benignum,
2 cor fictum praestans, dissimulator eris.
3 Decipiens alios blando sermone dolisque,
4 Mondole, jam cunctis dissimulator eris.

AD PIRRUM DE RUFFA.

E1_132 v.1 Formosa est facies formosaque brachia Ruffae,
 2 os, oculi, mentum, tempora, colla, genae.
 3 Formosam nec amo, possum nec amare. Quid obstat ?
 4 Exteriora vides, interiora latent.

IN TARTESIUM.

E1_133 v.1 Quod cunctos spoliet nummis Tartesius, illud
 2 miraris ? Nulla cum ratione facit.
 3 Quod temnat doctos alieni debitor aeris,
 4 miraris ? Nulla cum ratione facit.
 5 Praedia quod vendat, diffusi et jugera campi,
 6 miraris ? Nulla cum ratione facit.
 7 Quod nugis teneat cunctos Tartesius, istud
 8 miraris ? Nulla cum ratione facit.
 9 Quod faciat de nocte diem Tartesius, illud
 10 miraris ? Nulla cum ratione facit.
 11 Quod pascat servos magnaue paropside cenet,
 12 miraris ? Nulla cum ratione facit.
 13 Quod summum sanctumque Deum aspernetur, idipsum
 14 miraris ? Nulla cum ratione facit.
 15 Quod non formidet leges nec dogmata divum,
 16 miraris ? Nulla cum ratione facit.
 17 Tamquam immortalis vel tamquam bellua vivit,
 18 aut vere insanus vel, puto, stultus homo est.

AD FRANCISC. LAURIUM.

E1_134 v.1 Cum tibi sint puri mores, mens aurea, virtus
 2 aurea, sit tibi cor, pectus et aureolum ;
 3 aurea sit probitas, pietas sitque aurea, cultus
 4 aureus et, fulgens, aurea simplicitas.
 5 Aurea libertas, sermo aureus, aurea dicta,
 6 aureolum quicquid fundere ab ore soles.
 7 Aureola aetate et forma et florentibus annis
 8 aureus, a lauro Laurius unus eris.

AD NICOL. FRIZONUM.

E1_135 v.1 Tempora cur deflens Heraclitus sua planxit ?
 2 Crimina criminibus, quod mala juncta malis.
 3 Tempora cur ridens risit Democritus olim ?
 4 Quod vitio virtus commaculata foret.
 5 O si nunc hominum mores vitamque viderent,
 6 quam naso saecula aut fletibus apta magis.
 7 O utinam Heraclitus et hic Democritus essent.

8 Ambo riderent ? Fleret uterque, reor.

IDEM.

E1_136 v.1 Fles hominum vitam ? Heraclitus luxit abunde.
 2 Rides ? Jam risit omnia Democritus.
 3 Ambo riserunt, flerunt sua saecula quondam.
 4 Hunc sequeris ridens, hunc sequeris lacrimans.
 5 In lacrimas risum, lacrimasque in gaudia solvis :
 6 fles, rides vitae tempora maesta tuae.
 7 Vita fuit numquam post condita saecula, dicis,
 8 et risu pariter dignior et lacrimis.

AD FLORAM DE SEIPSO, ET CUPIDINE.

E1_137 v.1 Floribus ex variis nectebam Flora corollam,
 2 cum venit ad nostras ecce Cupido manus.
 3 Hic fugit, hunc fugiens fugientem carpere tento,
 4 dum fugit apposito mergitur ipse mero.
 5 Deque via fessum sitientem ad pocula cogit,
 6 dumque bibo, en caecus cor terit igne puer.

AD LECTOREM.

E1_138 v.1 Tu quicumque vides oppressi carmina vatis,
 2 multum mirare, et tu moveare magis.

ODDONI CASTILIONENSI GRATULATUR.

E1_139 v.1 Ecce Tolosana tibi littera venit ab urbe
 2 Oddo purpurei lausque decusque chori.
 3 Cur scribam, exposcis ? Tua tanta modestia cogit,
 4 fronte hilari cunctos qua cupis excipere.
 5 Nam memini, et meminisse juvat, qua mente peritos
 6 suscipias, doctos quove favore leves.
 7 Nunc poteris doctos, doctos qui amplecteris omnes,
 8 nunc, si quando alias, nobilitare magis.
 9 Dat tibi divitias et opes tua candida virtus,
 10 haec eadem virtus dat tibi quicquid habes.
 11 Purpureumque tuo dignum candore galerum
 12 atque greges, virtus dat tibi, quicquid habes.
 13 Clara domus tua sit, majorum et stemmata clara,
 14 nobilior multo es nobilitate animi.
 15 Te caelestis amor facit hoc te culmine dignum.
 16 Non hominum, sed sunt maxima dona Dei.
 17 Iste dies, qui te peperit, sanctissime Praesul,
 18 laudandus quantum ? Quam celebrandus erit ?

19 Et pater et mater nutrixque tuusque magister
 20 laudandi quantum ? Quam celebranda domus ?
 21 Quam vellem multos tales haec saecula ferrent,
 22 esset divitibus pauperibusque bonum.
 23 Regnaret Christus, scelerumque licentia nulla,
 24 in pretio virtus sicque in honore fides.
 25 Te duce, libertas reparabitur aurea, Praesul,
 26 te duce regnabit nullus in orbe lupus.
 27 Te duce, Religio victricia signa, triumphos
 28 nostra geret : Christus, te duce, victor erit.
 29 O pecudes multum tali pastore beatas,
 30 o sartas tectas Religionis opes.
 31 O nos felices tali sub Praesule, felix
 32 atque patrocinio gens studiosa tuo.
 33 Pasce gregem, pastor, Christum disperge per orbem,
 34 pastorem studeas ipse referre tuum.

DE PONTE TOLOSANO.

E1_140 v.1 Exhibuit populo spectacula maesta Garumnae
 2 unda, Tolosanis pontibus apta minus.
 3 Crevit in immensum, rapidus tumidusque Garumna,
 4 et paene in subitas pons ruit altus aquas.
 5 Accurrit populus, graviora metalla ruinae
 6 imponit, tota fundit in urbe preces.
 7 Pondere pons tanto tumidas turbatur in undas,
 8 res eadem ponti vulnus opemque tulit.

AD SCAEVAM.

E1_141 v.1 Sat scio, Scaeva, tibi tot sunt tantique sodales
 2 ut nullus mihi sit jamque in amore locus.
 3 Hunc, hunc, si superest quisquam, nos Scaeva rogamus.
 4 Vix salva fronte hoc Scaeva negare potes.
 5 Obscurus quod sum, facies quod rustica, Scaeva,
 6 quod tibi sum, quaeso, ne moveare, novus.
 7 Hoc veteres primum cari junctique fuere ;
 8 qui novus est, tibi post, post tibi notus erit
 9 si bonus est novus ille, tuum quem Scaeva recusas,
 10 quo veteres vincat tempore, tempus erit.

AD LECTOREM.

E1_142 v.1 Carminis incompti leges lecture, rogamus,
 2 auctorem excuses, qua ratione potes.
 3 Pascua, rura, duces, nec carmine bella Gigantum,
 4 Romanae gentis magna nec acta canit.
 5 Insanos Elegis, hominum nec ludit amores,

6 larvatos, mutos non canit ille deos.
 7 Dat tibi, quicquid habet, sumas sine bile, precatur,
 8 si modo sint quae dat, munera digna legi.
 9 Te rogat ex animo, tu suffragere rogatus,
 10 tu lege, si bona sint carmina, perde mala.

AD PIUM.

E1_143 v.1 Per medias ibit flammas mediasque favillas
 2 vir pius, a duro vulnere tutus erit.
 3 Quem caelestis amor, pietas probitasque tuetur,
 4 ferre crucem, flammam cogitat esse leve.

AD BRIANDUM VALEAM.

E1_144 v.1 Contentus paucis Bacchus solet esse racemis,
 2 cum Bacchi excipiant vascula nulla merum.
 3 Alma Ceres laetas segetes dat, gramina laeta,
 4 et Cereri ex spica sola corona datur.
 5 Majores quondam divi divique minores,
 6 pro parvo cunctis munera magna dabant.
 7 Tu quoque fac donem tibi munera parva, Briande,
 8 accipito placide, et consule, quaeso, boni.

AD FABRICIUM.

E1_145 v.1 Te debere decem justa ratione fateris,
 2 aureolosque decem me numerasse tibi.
 3 Subjungis causam : vestes victumque dedisti,
 4 cum Lunae in portu corpora nuda forent.
 5 Si te vestivi nudum, nunc algeo, justum est,
 6 acceptum referas, si potes, officium.
 7 Persolvam, dicis, patruus mihi suggeret aurum.
 8 Exspecto, at cernis, jam mihi quid sit opus.

AD COLINUM.

E1_146 v.1 Si mala te scabies aut morbus Regius urget,
 2 frictio, lectus, aquae, balnea multa juvant.

AD EUMDEM.

E1_147 v.1 Cancer edax serpens late per membra dolentum
 2 illaesas partes inficit, atque necat.

AD PETRONIAM.

E1_148 v.1 Donasti tenero, Petronia, nuper amico
 2 in oculis quicquid, quicquid in aere foret.
 3 Argentum factum, torques vestesque, Smaragdos,
 4 lucentes gemmas, aurea vasa, merum,
 5 post haec natorum, post nomina cuncta reorum,
 6 ancillas, servos, filiolasque tuas.
 7 Praedia, castra, domos, mentem corpusque dedisti.
 8 Quae jungas, non sunt, jam nova dona datis.
 9 Vae tibi, vae scortum, tibi vae Petronia pellex,
 10 vae spoliata tibi, vae tibi sordidula.

AD SOMNICULOSUM.

E1_149 v.1 Ne dormi, ne, blande puer, somnum exspue, surge,
 2 surge puer, somnum comprime, surge puer.

IN GALLUM QUENDAM.

E1_150 v.1 Dic mihi, Galle levis, tibi sit cum Gallica lingua,
 2 quae placet ex linguis omnibus una magis ?
 3 Cur Graeco aut Latio potius sermone moveris ?
 4 Immemorem patriae cur juvat esse tuae ?

AD DUCIS DUCEM.

E1_151 v.1 Tu Ducis es ductor : tu re, ille est nomine tantum,
 2 o utinam re ipsa et nomine uterque foret.

AD AYMANDUM.

E1_152 v.1 Exiguum est quod do. Mentem sed respice dantis,
 2 et donum veri pignus amoris habe.
 3 Magna sub hoc parvo latitant praecepta libello,
 4 nil quibus est melius, nil quibus esse potest.

DE LIBRO BAYFII.

E1_153 v.1 Romanas vestes docuit, qui serica fila,
 2 vestitus liber est pellibus exiguis.

AD JO. BECCUM.

E1_154 v.1 Perdices, cervos, lepores, pinguesque ferinas

2 si pergas nobis mittere, carus eris.

AD EUMDEM.

E1_155 v.1 Gallinas, turdos, cygnos mihi, Becce, remittis
 2 pro modulis, nostros credo placere sonos.
 3 Dulce canit mea Musa tibi, sic, Becce, putandum est,
 4 dum volucrem cantu teque ferasque rapit.
 5 Retibus et calamis praedam dum fallere discis,
 6 Becce, tibi et praedae retia Musa parat.

AD DANESIUM.

E1_156 v.1 Tres linguas laudas, Graecam, Hebraeam atque Latinam.
 2 Cur non tam Gallo Gallica lingua placet ?

AD BAYFIUM.

E1_157 v.1 Gratia tam parvi non est ingrata libelli,
 2 perpetuum hoc solo nomine nomen habes.

AD GOBERT. CHEVENTIUM.

E1_158 v.1 Ecce tuas frater clamans suspirat ad aedes,
 2 auxilio dignus quem tueare tuo.
 3 Te vocat et multis precibus te flectere tentat,
 4 auxilio dignus quem tueare tuo.
 5 Ille tuus frater nec opes nec praedia quaerit,
 6 auxilio dignus quem tueare tuo.
 7 Effundit lacrimas, gemitus tristesque querelas,
 8 auxilio dignus quem tueare tuo.
 9 Vis flentis miseros fratris compescere questus ?
 10 Fac fugias vetiti gaudia foeda tori.

AD CANEUM.

E1_159 v.1 De Christo, vero quicquam de moribus audes ?
 2 Nonne times flammam carnificisque manus ?

AD CODRUM.

E1_160 v.1 Non es et es Codrus : miser es, nec es ipse poeta,
 2 non vates Codrus, Codrus egenus eris.

PAULI DICTUM.

E1_161 v.1 "Dissolvi cupio, caelum Christumque videre",
2 Paulus ait, veri buccina clara Dei.

DE CLEMENTE.

E1_162 v.1 Clementis malefacta jacent, benefacta supersunt,
2 namque, aliis vivens, ipse sibi periit.

DE PAULO.

E1_163 v.1 Pontificem Paulum nobis pia numina praestant ;
2 at Paulus paulum, quod cupit orbis, erit.

AD CORBIONEM.

E1_164 v.1 O tu, qui multas visco captare volucres,
2 quique soles laqueis illaqueare feras,
3 qui nunc capreolas, damas, leporesque, luposque,
4 qui pisces et aves fallere saepe studes,
5 quid facies tot saeve feris quas perdere gaudes
6 hamis, aucupio, retibus, atque cane ?
7 Corbillae nullae, capient non Corbio corbes,
8 quod tua multiplici destruit arte manus.

DE CORDERIO.

E1_165 v.1 Cordatus linguae, morum vitaeque magister,
2 Corderius censor crimina cuncta notat.

AD AEGIDIUM BOHERUM.

E1_166 v.1 Vivere vis felix ? Sapienter vive, Bohere ;
2 nam fieri felix hac ratione potes.
3 Vivere vis caste ? Luxus contemne nocentes :
4 hac castus fieri nam ratione potes.
5 Vivere vis fortis ? Durum amplexare laborem,
6 hac fieri fortis nam ratione potes.
7 Vivere vis vitam justorum, care Bohere ?
8 Vive Deo : si vis, hac ratione, potes.
9 Ille "Ego sum lux", Christus ait, "sum denique verum,
10 sum via, vita, salus, pax, requiesque bonis."

AD GODOF. PATEIUM.

E1_167 v.1 Ruris delicias et opes, rurisque labores
 2 esse putas oculis grata theatra tuis.
 3 "Rura colam, dicis, pascam tenerasque juvenecas
 4 lactebitque meas candidus agnus oves.
 5 Praediolis vivam ; populi valeatis et urbis
 6 commoda, quo possim vivere, rura dabunt.
 7 Exiguum pecus est, desunt armenta, nec illud
 8 a coepto cursu me revocare potest."
 9 O te felicem multum multumque beatum
 10 agricolam, vives, et moriere Deo.

DE ZAZIO ET ALCIATO.

E1_168 v.1 Zazius, Alciatus duo sunt nunc lumina juris,
 2 quorum opera leges discere quisque potest.

AD BOYSSONEVM DE STEPHANO DOLETO ET GULIELMO SCAEVA.

E1_169 v.1 Sunt duo, sunt de tot probitas quos junxit, amicis
 2 insignes, quorum nomen in orbe micat.
 3 Hos quia de facie absentes per nosse negatum,
 4 illis me, hosque mihi conciliare velis.
 5 Hoc potes, hocque dabunt, tanti facit unus et alter
 6 unum te, ut sperem velle negare nihil.
 7 Scaeva tuus Stephanusque tuus, tuus alter, et alter,
 8 seque fide junctum credit uterque tibi.
 9 Quod peto, si dederis, tantum et tam nobile donum,
 10 accepti memorem me experiere boni.

AD CORDERIUM.

E1_170 v.1 Te docuit Christus verumque, fidemque docere,
 2 te docuit Christus spernere divitias.
 3 Te docuit Christus teneram formare juventam,
 4 te docuit Christus moribus esse bonis.
 5 Te docuit Christus duros sufferre labores,
 6 te docuit Christus munus obire pium.
 7 Te docuit Christus nulla mercede parata
 8 viva litterulas voce docere bonas.
 9 Te docuit Christus veram expectare salutem,
 10 paupertatis onus, spicula saeva pati.
 11 Te docuit Christus caelum vitamque beatam
 12 a se immortalis, non aliunde, dari.
 13 Te docuit Christus contentum vivere paucis,
 14 in tenui docuit teque habitare casa.
 15 Teque pudicitiam docuit servator Iesus,

16 te docuit summum velle videre Deum.

BLANDITUR FRATRI.

E1_171 v.1 Si bene prospicio, tua laus, carissime frater,
 2 clarior est claro lucidiorque die.
 3 Nam tibi non desunt clari ornamenta laboris,
 4 non tibi magnanimi forma pudorque ducis.
 5 In te summorum virtus clarissima, frater,
 6 in te verus amor, par probitasque micat.
 7 In fratres pietas Fabii promptissima frater,
 8 in te est formosi vis generosa viri.
 9 In te praefulget puri concordia fratris,
 10 in te sincerum pectus amicitiae.
 11 Te justum, fortem, castum natura creavit,
 12 fronte gravem, validum corpore, mente probum.

DE LIBELLO RABIRII.

E1_172 v.1 Qui vestes, lanas, telas, aulaea, colores
 2 intus habet, nudus stat sine veste liber.

DE EODEM.

E1_173 v.1 Vestimentorum rationem nosse laboras ?
 2 Corporis et partes qua ratione tegas ?
 3 Ornamenta tibi liber hic Romana parabit
 4 a summo capitis vertice ad usque pedes.

DE BOHERO

E1_174 v.1 Defessus nimio labore somnum
 2 somnum dulciculum vocat Boherus.
 3 Somnus diffugiens procul recedit,
 4 et reddit vigilem premitque pressum.
 5 O clamans geminat, velis juvare,
 6 o languens geminat, velis favere.
 7 Hoc unum peto, Somne, da roganti,
 8 o deflens geminat velis adesse,
 9 nec somnum precibus potest movere
 10 somnus languidulum premens Boherum,
 11 quo clamat magis, hoc magis recedit.

AD BONAM.

E1_175 v.1 Cum Bona sit bona mens nato, bona sitque voluntas,

2 inque bonas artes vis bona, amorque bonus,
 3 cur Bona, cur nati meditaris flectere cursum ?
 4 Flectendo rumpes hunc cito, crede, Bona.
 5 Fac bona, non mala sis, permittas discere natum,
 6 si facias, facies hunc puto causidicum.

AD EAMDEM.

E1_176 v.1 O Bona, cum fueris nullo non tempore talis,
 2 quale tibi est nomen, qualis et est bonitas.
 3 Tu, Bona, si pergas, melior, tandem optima fies :
 4 principio recto terminus aptus erit.

IN TARTESIUM.

E1_177 v.1 Tu mihi qui imperitas aliisque vicarius ipse es,
 2 si me vis servum, sis herus ipse prius.
 3 Imperiosus homo es nimium, nimiumque superbus,
 4 cum fueris liber, tum tibi servus ero.

AD BOYSSONEUM.

E1_178 v.1 Ecce tibi versus xeniorum nomine mitto,
 2 res tibi non potui mittere, verba dedi.
 3 At quid habet, Boyssone, aliud quam carmina, vates ?
 4 Quid dare jam pauper quam tibi verba potest ?
 5 Si tibi displiceant vel si tibi carmina sordent,
 6 abstergant foedas carmina nostra nates.

IN MAURUM.

E1_179 v.1 Crimine te vinci, sed carmine vincere dicis,
 2 carmine victus abis, crimine victor eris.

IN EUMDEM.

E1_180 v.1 Proscindis Stephanum immerito lacerasque Doletum,
 2 quid facis, o demens, quid furiose facis ?
 3 In vatem jactas te scribere carmina. Falsum est :
 4 carmina nulla facis, crimina multa facis.
 5 Carminibus vatem fictis scriptisque laccessis ?
 6 Criminibus vinces, hic (scio) carminibus.

AD JUNIUM RABIRIUM.

E1_181 v.1 Jam tibi jam Juni Jani rediisse Calendas
 2 gratulor, hunc laetum teque videre diem.
 3 Nec tibi sat possum pro strenis munera Juni
 4 mittere, meque pudet mittere posse nihil.
 5 Verum age nil facias mittam quam carmina : mitto
 6 dona, quibus flecti numina posse reor.

AD CHUFFETUM.

E1_182 v.1 Quid tibi dem, Chuffete, petis, mihi quidque remittas,
 2 ut tuus esse puto, sic meus esse velis.

AD PHILANDRUM.

E1_183 v.1 Jani, qui poterant, dabant Calendis
 2 pro strena lepidis suis amicis
 3 quondam munera, liberalitate
 4 captantes animos pios suorum.
 5 Certabant xeniis beatiores ;
 6 nunc vero penitus Philander ad te
 7 quod mittam, mihi nil datur misello.
 8 Quo fit, multiplici prematur aestu
 9 summo mens mea fluctuans dolore
 10 curarum gravium ac molestiarum.
 11 Versus mittere nunc paro pusillos :
 12 nugas mittere, nunc leves camenas,
 13 floccos mittere, nunc sales Philander
 14 cogor mittere, queis tibi placere
 15 sat possum, scio, candido sodali.
 16 Quod si non placeant joci modique
 17 pro strena lepido ac probo sodali,
 18 fac lectus placeat tibi dicatum
 19 Vultei, tuus esse qui peroptat
 20 et vult et cupit omnibus Calendis.

AD MOETUM.

E1_184 v.1 Tam mihi jucundus, tamque es mihi carus amicus
 2 quam grata est casto casta puella viro.

IN MAURUM DE DOLETO.

E1_185 v.1 Desine, Maure, malos tussire tenebrio versus
 2 et ructare malos et crepitare malos.
 3 Desine, vel summum mox experiere poetam :

4 hostis adest, fugias, heus fuge, Maure, venit.

AD JACOBUM OMPHALLIUM.

E1_186 v.1 Si bene perspexi mores vitamque modumque,
 2 Omphalli, totus candidus ipse mihi es.
 3 Nam tua nec laudas studia aut aliena reprendis :
 4 si bene te novi, candidus ipse mihi es.
 5 Sectaris rectum, vitium sordesque repellis,
 6 Omphalli, totus candidus ipse vir es.
 7 Assiduo assequeris studio sensa abdita legum,
 8 atque gradus meritis dat labor ipse tuis.
 9 Jurisconsulti jurisprudentia nomen
 10 exaugens titulum praemia parta dedit.
 11 Cum responderes nuper de jure rogatus,
 12 mirata est specimen docta Tolosa tuum.
 13 Germanos peperit paucos Germania tales,
 14 sit quibus amplecti, quod facis ipse, datum.
 15 Si quisquam fuerit consulti nomine dignus,
 16 jurisconsulti nomine dignus eris.
 17 Rhetor es ipse bonus, tibi summa peritia juris,
 18 et nosti, quicquid lingua sonare solet.
 19 Nilque tua te uno in terra est facundius omni.
 20 Quid multis ? Totus candidus ipse mihi es.

DE COLINAEO, STEPHANO ET GRYPHIO.

E1_187 v.1 Inter tot norunt libros qui cudere, tres sunt
 2 insignes : languet cetera turba fame.
 3 Castigat Stephanus, sculpsit Colinaeus, utrumque
 4 Gryphius edocta mente manuque facit.

DE P. FABRITIO.

E1_188 v.1 Fabritius mihi se vitam debere fatetur,
 2 aut vita si quid carius esse potest.
 3 Cum nihil exposco, majorem me Jove clamat :
 4 si peto quae mea sunt, tunc inimicus ero.
 5 Fabritium debere nihil, vel fallere nullum,
 6 vel quibus aes debet, semper amare bonum est.

IN CATELLUM.

E1_189 v.1 Ignavos, turpes stultosque, Catelle, catellos
 2 immodice extollens cur facis esse Joves ?
 3 Ediscunt, dicis, totam referuntque Minervam :
 4 quod scio, si scires, non (puto) desiperes.

5 Quod facis, odisse est, caecos nec amare catellos,
 6 sic catulos turpes simia turpis amat.
 7 Caecos caece tuos cognosce, Catelle, catellos.
 8 Illa patris virtus maxima nosse suos.

AD DUDETUM.

E1_190 v.1 Pro strena, Dudete, tibi sine crimine carmen
 2 mittere quod possum, mittere posse juvat.
 3 Qui dare magna potest, tibi mittere magna parabit :
 4 quod volo, non possum, sit tibi velle satis.

DE MARIO ET BONETO CAUSIDICIS.

E1_191 v.1 Masseriae Marium agnoscunt laudantque Bonetum :
 2 hic bonus, ille bonus, doctus uterque satis.
 3 Causas pertractat, lites dissolvit uterque.
 4 Vis dicam qui sint ? Sunt duo causidici.

AD PARENTIUM.

E1_192 v.1 Tu me pollicitis ornas onerasque, Parenti,
 2 cum peto promissum, te dare posse negas.
 3 Cras solvam, juras per numina sancta, Parenti,
 4 hoc faciunt quibus est res male tuta domi.
 5 Promittis, non das, dans non das dona, Parenti,
 6 sic dare, quae tua sunt, quaeque aliena potes.
 7 Tu donum appellas promittere multa, Parenti,
 8 nec dare : Regis opes hac ratione dabo.

AD GRANGERIUM.

E1_193 v.1 Jure meum quemquam possim si dicere amicum,
 2 tu mihi, Grangeri, saepe vocandus eris.
 3 Vulteius si quos habeat credatque sodales,
 4 in primo et summo te putat esse loco.
 5 Cum domus una duosque Lutetia docta teneret,
 6 unica mens nobis, unica cura fuit.
 7 Absens absentem tantumdem diligo quantum
 8 praesens praesentem, vis tibi plura dari ?

AD HERLINUM.

E1_194 v.1 Formosa est conjux tua, sed prudentior. Unde hoc ?
 2 Plus placuit Pallas quam tibi grata Venus.

DE REGE DIALI.

E1_195 v.1 Rex cum sis hodie miser Dialis,
 2 tu qui nec Dominus, nec Imperator,
 3 nec sis sanguine nobilis nec ortu,
 4 nec suffragia te Ducem crearint,
 5 fastu quid nimio miser superbis ?
 6 Affectans titulos potentiorum.
 7 Sors quae te voluit videre regem,
 8 haec te cras eadem volet bubulcum.
 9 Tantum cur igitur miser superbis ?
 10 Rex quod sis hodie miser dialis.

DE AGELLO PATERNO.

E1_196 v.1 Praediolum si forte petas, si nostra requiras
 2 tecta, patris patriam Belgica terra dabit.
 3 Axona te fluvius proprias deducit ad aedes,
 4 antiquumque patris Vendiacense solum.
 5 Villa ferax vini et frumenti, grata colonis,
 6 pinguis humus pecori sufficit atque suo.
 7 Limpiduli fontes insunt hortique lacusque
 8 et nemora, et quicquid terra beata parit.
 9 Prospectusque oculis gratus, clementia caeli
 10 maxima : nil, quod non pascere possit, habet.
 11 Hoc uno infelix est rustica villa parentum,
 12 quod domus a Domino rumpitur illa soli.
 13 Convenit huic nomen, nam montibus hausit ab aspris
 14 subjectos lacerans asperitate sua.
 15 Quodque suos spoliet nummis nudosque relinquat,
 16 hunc damnet nemo, quod facit hoc loquitur.

AD SALMO. MACRINUM.

E1_197 v.1 Budaeus tibi profuit poetae,
 2 cum te iudicio suo probavit,
 3 summum te faciens, Macrine, vatem
 4 post Flaccum citharae patrem sonoraе.
 5 Auxit ille tuae modos Camenae.
 6 Hoc hoc iudice ter beata vena est,
 7 vena perpetuis canenda libris,
 8 libris, quos docuit Minerva doctos
 9 doctis scribere et optimis poetis,
 10 emunctis, lepidis, bonis, politis.
 11 Immortale tuum poema vivet
 12 tanti iudicio viri. Gelonis
 13 uxor Penelope magis pudica
 14 uxor major erit, magis probata

15 cunctis, quas cecinit poeta Musis,
 16 et multis "Epigrammaton" libellis
 17 toto cognitus orbe Martialis.
 18 Jam te Gallia Gallicum Maronem,
 19 jam te Gallia Gallicum Catullum,
 20 jam te Gallia Gallicum Marullum,
 21 jam te Gallia Gallicum Tibullum,
 22 Flaccum Gallia te, Macrine, dicet.
 23 Nasonem semel, et quater vocabit.
 24 Jam te Gallia Gallicum poetam
 25 quantum suspiciat vides, Macrine ?
 26 Effert laudibus et modos celebrat,
 27 et primam tibi dat, Macrine, palmam.
 28 Budaeus dedit hoc tibi poetae,
 29 cum te iudicio suo probavit,
 30 summum te faciens, Macrine, vatem.

DE MAROTO AD LAURIUM.

E1_198 v.1 Ante oculos dicis facies sit cara parentis,
 2 hoc dictum amplector consiliumque sequor.
 3 Vocibus his recreor, placet et Tritonia Pallas,
 4 quae multa insignem reddidit arte patrem.
 5 Sed me fata trahunt retrahuntque miserrima Lauri :
 6 nulla datur studiis pax requiesque meis.
 7 Unica me misere errantem comitatur egestas
 8 longa nec assuetum mitigat hora malum.
 9 Assidue multosque novosque ex pectore questus
 10 effundo lacrimans missaque gutta perit.
 11 Nulla odiosa magis mihi quam mea praedia Lauri,
 12 nulla minus grata est quam mea terra mihi.
 13 Dum patior caeli rabiem terraeque marisque,
 14 ingrata est vati Gallia tota suo.
 15 Heu Latium lacerum retinet vestitque poetam,
 16 plus peregrina favet quam mea terra mihi.
 17 Tu mihi respondes "Oculis Deus aspicit aequis
 18 cuncta, dabit finem, cum volet ipse, malis."
 19 Vera refers, praestare potest servator Iesus
 20 auxilium, afflictis scit dare rebus opem.
 21 Interea, o Lauri, patiar quaecumque jubebit
 22 Servator Christus, spesque salusque mea.
 23 Sat scio, nec fallor, summi promissa Tonantis :
 24 "I patiens, dixit, tu modo victor eris."

AD LATOMUM.

E1_199 v.1 Gallum e Germano vidit si Gallia, jam te
 2 Germanogallum Gallia dives habet.
 3 Illa suis opibus pensat, Germane, labores,

4 regia dat meritis munera digna tuis.
 5 At tu quod melius donum immortale reponis,
 6 praeferri possunt donaque nulla tuis.
 7 Exponis Ciceronis opes gemmasque Maronis,
 8 argumenta, locos, schemata cuncta doces.
 9 Hoc tibi Germano debet jam Gallia, Gallus
 10 ex arte ut possit cum Cicerone loqui.
 11 Artifices genuit doctos Germania, verum
 12 nullus erit qui te vincat in arte tua.

DE DIOGENE.

E1_200 v.1 Diogenes regis summas pertractus ad aedes
 2 hac una (ut fertur) condicione fuit ;
 3 sputa ut nulla suo cenans emitteret ore,
 4 in faciem tandem conspuat ille Ducis.
 5 Cur faceret, quaerunt alii, causamque rogatus
 6 regis ait facie foedius esse nihil.

AD MAURUM.

E1_201 v.1 Ut dem iudicium de stultis, Maure, libellis,
 2 perpetuoque petis perpetuoque rogas.
 3 "An tibi non placeant (inquis) mea scripta poetam ?"
 4 Sic me sollicitus saepe rogare soles.
 5 "Extollo, admiror, stupeo venerorque proboque
 6 atque illis testor doctius esse nihil."
 7 "Istud ais ? (dicas) nisi sum meliora loquutus,
 8 dispeream. At quae sunt haec meliora ? Sat est."

AD RABELAESUM.

E1_202 v.1 Qui rabie asseruit laesum, Rabelaese, tuum cor,
 2 adjunxit vero cum tua Musa sales,
 3 hunc puto mentitum, rabiem tua scripta sonare
 4 qui dixit : "Rabiem dic, Rabelaese, canis ?"
 5 Zoilus ille fuit rabidis armatus iambis,
 6 non spirant rabiem, sed tua scripta jocos.

AD LUCINAM ANUM.

E1_203 v.1 Turpis anus juvenem cupiens Lucina puellam
 2 mentiri, tinctam comparat illa comam.
 3 Canos atque tegit flavis annosa capillis,
 4 canaque quae fuerat aurea facta nitet.
 5 Exornat, torquet pectitque lavatque capillos,
 6 praeque emptis crines negligit illa suos.

7 Te, non nos, fallis turpis Lucina, tremensque,
8 rugosa est facies, est tibi laxa cutis.

DE STURMIO.

E1_204 v.1 Tam bene apud Gallos Germanus Sturmius audit,
2 quam male apud castos audit amara Venus.
3 Hunc laudat Gallus vestitque ut rhetora doctum,
4 observat, ditat qua ratione potest.

AD FRANC. LAURIUM.

E1_205 v.1 Jam rediere tibi Jani, Francisce, Calendae,
2 queis tibi pro strenis laureaserta paro.
3 Aurum dant alii, argentum, dant splendida dona,
4 nil nisi pro strenis laureaserta paro.

IN AVARUM SOCIUM.

E1_206 v.1 Credere vis nullos socio sine fenore nummos,
2 quid facies aliis, qui facis haec socio ?

AD AEGID. BOHERUM.

E1_207 v.1 Ad te, quid penitus, Bohere, mittam
2 Jani pro xeniis, rogo, calendis ?
3 Ne vivam, scio si satis. Videsne
4 quod mittam, mihi nil datum, Bohere,
5 qui sum pauperior, egens magisque
6 quovis paupere et impotente Codro ?
7 Torques si petis, annulos, smaragdos,
8 gemmas, lucidulos cupis lapillos,
9 aurum si petis, a potente quaeras.
10 Sunt haec munera, sunt beatiorum,
11 quae tu, quaeque alii potentiores
12 felici auspicio datis, Bohere.
13 At pauperculus, et miser Bohero
14 Vulteius dare quid potest poetae ?
15 Os, vultum, faciem, manus pedesque,
16 cor, corpus, geminos suos ocellos,
17 vitam denique, tempus atque totum
18 dono pro xeniis tuis, Bohere.
19 Quod si non faciam satis, precor te
20 excusare velis, Bohere, munus.

IN MONDOLUM.

E1_208 v.1 Vis fidei nullos sine pignore credere nummos,
2 jam credes (credo), Mondole, pignus habes.

IN THEROCENUM

E1_209 v.1 Socraticos modo tu sequeris rigidosque Catones,
2 tu modo barbati pondera Pythagorae.
3 Democritos, post haec Epicuri de grege porcos
4 sectaris, post quos gratus Aristoteles.
5 Deinde Platonis opes tamquam successor et haeres
6 exponis nobis nil nisi grande sophos.
7 Nunc tibi sectarum sordent cur nomina ? Dicis
8 illa mihi ingrata est, illa nec illa placet.
9 Dulce seni vitam nulla traducere secta,
10 quae ratio ? Acclamas "Haec mihi vita placet."

AD ARNAL. FERRERIUM.

E1_210 v.1 Ferreri laetor Jani vidisse Calendas,
2 et laetor laeta te rediisse die.
3 Sed doleo : tibi nil possum quod mittere, praeter
4 carmina pro xeniis munera parva tuis.
5 Verum age fac nugas mittam, fac carmina vana :
6 esse solent summis carmina grata Deis.

AD THOMASSINUM.

E1_211 v.1 Lingua diserta tua est, o Thomassine, disertum
2 pectus et est, totus nempe disertus homo es.
3 Corpore in exiguo veri ornamenta decoris
4 praelucent, sed sunt maxima quae latitant.

DE ADULTERO, ALEATORE, GULOSO.

E1_212 v.1 Alea, mensa, Venus sibi tres peperere puellos,
2 tresque suis ornant inficiuntque malis.
3 Mensa docet puerum convivium laeta parare,
4 ad lusus vetitos alea blanda rapit.
5 Concubitus, veneres, turpes commonstrat amores,
6 scortari, et puerum cogit amara Venus.
7 Lusor alit lusus, Venerem Venerisque puellas,
8 indulgere gulae poscit et ille suae.
9 Hic lusus memorat : cenas, nigramque culinam
10 ille, alius clamat, sunt tria scorta domi.
11 "Gaudeo femineis complexibus", inquit adulter ;

12 "Alea, mensa placent", unus et alter ait.
 13 Assidue scortor, convivia lauta frequento :
 14 "Alea me nutrit, saepe referre solent.
 15 Formosis capior, mihi, quae pulcherrima grata est ;
 16 turpis erit meretrix, non placet illa mihi.
 17 Alea sola placet, valeant qui scorta requirunt,
 18 ludere pergratum est nocte dieque mihi.
 19 Regales mensas, irritamenta palati,
 20 quae curas abigant, pocula multa peto."
 21 Pro pudor, o superi , contundite saxea corda,
 22 tresque eadem socios conterat hora brevis.
 23 Haec patiere diu, Christe optime maxime, monstra ?
 24 Cur non comminuit vindicis ira patris ?
 25 Illi vina, dapes, lusos, veneresque sequuntur,
 26 aetatisque suae tempora fluxa terunt.
 27 Quisque suae ad matris miserae documenta recurrit,
 28 exsequitur celeri, quod docet illa, pede.
 29 Post multos lusus, post pocula, basia, odores
 30 finis adest vitae, trinaque poena tribus.
 31 Oscula, concubitus, coluit qui scorta, puellas,
 32 ille nova scabie dilaceratus obit.
 33 Alea quem insomnes docuit deducere noctes
 34 huic tandem funis pessima finis adest.
 35 Quique gulam pavit dapibus vinoque sepultus,
 36 ille mala scabie tabidus exsul agit.
 37 Utque triplex placuit vitae genus atque voluptas
 38 trina tribus, sic tres trinaque poena premit.
 39 Discite vos pueri infantes, vos discite matres :
 40 si vita est turpis, mors quoque turpis erit.
 41 Qui pereunt miseri, miseri volvere perire :
 42 talia fata viris, qualia vota prius.

AD PHILIPPUM NILUM.

E1_213 v.1 Te pater emoriens haeredem ex asse reliquit,
 2 exheredavit teque, Philippe, pater.
 3 Hos nodos (precor) ipse mihi dissolve, Philippe,
 4 aes dedit, aes nihil est, quod dedit eripuit.

IN MONDOLUM.

E1_214 v.1 Nosti picturam, novisti perdere cartas,
 2 versiculos nosti saepe cacare leves.
 3 Versuram faciens te scribere, Mondole, versus
 4 scribis, et esse tuum grande poema canis.
 5 Rides ? Non modulos nosti cantare, cacare
 6 merdosos nosti, Mondole stulte, modos.

AD PISCEM POETAM.

E1_215 v.1 Conscribis versus quos vix intelligat ullus,
 2 mutum aenigma mihi, non epigramma facis.
 3 Vix Varro iis poterit, vix Servius addere lucem,
 4 vix qui oratores explicuere bonos.
 5 Divinis opus est multis et Apolline summo,
 6 obscuros possit qui reserare sonos.
 7 Interpres tibi sis Piscis, prognostica solve,
 8 si tua vis nosci carmina, visque legi.

DE EODEM.

E1_216 v.1 Qui Mulos, Rhombos, Murenas carmine tollat,
 2 Ostrea qui celebret, det tibi Roma virum.
 3 Quique Scaros laudet Coracinos, cantet Echinos,
 4 quique Lupos, Troctas esse in honore putet.
 5 Attrebatum piscem genuit, vatemque canorum,
 6 ille potest de tot piscibus esse satis.
 7 Hic mutos poterit pisces describere Piscis,
 8 nam dulci Aonium fundit ab ore melos.

DE BUDAEO.

E1_217 v.1 Gallia quicquid habet, quicquid Germania, quicquid
 2 Anglia, et Italia, et Graecia quicquid habet,
 3 id totum soli Budaeo ferre (fatendum est)
 4 acceptum debent, nemo negare potest.
 5 Gallia quam felix, quam claro haec sole beata ?
 6 Prae cunctis splendens lumine clara suo est.

AD DANESIUM.

E1_218 v.1 Gallia florebat te praeside nostra Danesi,
 2 at, te abeunte, simul Gallia nostra abiit.
 3 Dum petis Italiam, fugientem te usque secuta est
 4 Gallia, ab Italia te redeunte redit.
 5 Gaudeo te reducem summa cum laude, verebar
 6 ut tegeter doctum gens peregrina caput.
 7 Gallia pone metum, fletus comescite, Musae,
 8 pone metum Gallus Gallia noster adest.

AD TUSSANUM.

E1_219 v.1 Regis opus, Tussane, tui perdocte magister,
 2 si quisquam mira sedulitate polis.
 3 Exornas patriam, linguam profiteris utramque,

4 tam tibi devincta est Graecia quam Latium.

AD FRANC. VATABLUM.

E1_220 v.1 Tres linguas voluit Francus, Francisce, beare
 2 Rex noster, quo nil mitius orbis habet.
 3 Instaurare lubet perituras tempore nullo
 4 humanas artes barbariemque fugat.
 5 Nobile gymnasium extruxit Franciscus, Athenis
 6 majus : habet Musas Gallica terra novem.
 7 Stant vivi lapides operis structaeque columnae,
 8 Regis Francisci munere crescit opus.
 9 O nos felices tali sub Rege coortos,
 10 quam bene consultum est docta Minerva tibi.
 11 Nos faciles aditus nosque obvia cuncta tenemus,
 12 tresque triplex linguas Gallia nostra colit.
 13 Sermonem Hebraeum Galli, Graecum atque Latinum,
 14 pertractant, linguis vincere quemque queunt.

AD ORONTIUM FINAEUM.

E1_221 v.1 Regius es Doctor, Doctoris nomine dignus,
 2 de septem posses artibus ipse loqui.
 3 Sidera quas habeant sedes, quoque ordine fixa,
 4 si tu non doceas, nemo docere potest.
 5 Nosti mensuras, numeros motusque sonosque,
 6 Finaee, et fines, quicquid et orbis habet.

AD PELLISONEM.

E1_222 v.1 Doctrinae et scriptis respondet candida vita,
 2 Pelliso, exemplum dant tua facta mihi.
 3 Hoc scio, quodque loquor, res est certissima ; nosco
 4 hoc verum, non me dicere cogit amor.

DE STRAGELIO.

E1_223 v.1 Nosse vis puerum senem, disertum,
 2 unus Stragelius senex puerque.
 3 Aetate est juvenis senexque sensu,
 4 vita, moribus, eruditione.
 5 Qui linguas docet et tenet disertas
 6 doctor regius et probus magister,
 7 doctor ingeniosus elegansque,
 8 doctor quique bonas amat Camenas,
 9 doctor publicus, aptus et benignus.
 10 Regis munere praemium laborum

11 amplum sic satis atque liberale
 12 visus Stragelius referre dignus,
 13 unus Stragelius puer senexque,
 14 Graecarum decus ille litterarum.

AD JACOBUM SYLVIUM.

E1_224 v.1 Nulla alia est ratio cur te mea carmina laudent,
 2 quam quod te dignum carmina laude putant.
 3 Non aliud video quo te tua Gallia cantet,
 4 quam quod rem medicam, docte Jacobe, doces.
 5 Haec si non placeat tibi nec satis esse videtur,
 6 ipse aliam, Sylvi, tu tibi finge, placet.

AD DOLETUM.

E1_225 v.1 Ad cenam venias, rogo, Dolete,
 2 quid differs ? Venias, parata cena est.

AD MARANDUM.

E1_226 v.1 Judex quam soleas placere doctis,
 2 judex quam soleas adesse plebi,
 3 judex quam soleas bonos levare,
 4 judex quam miseros soles juvare,
 5 judex quam soleas fovere cunctos,
 6 judex quam soleas favere justis,
 7 judex quam soleas foro placere,
 8 noscit Burdigalae frequens senatus,
 9 cum magna procerum ducumque parte.
 10 Noscit Gallia, quam Garumna cingit,
 11 noscunt Vasconiae potentiores,
 12 noscunt Vasconiae minutiores,
 13 judex quam placeas, Marande, cunctis.

DE DOLETO, BRIXIO, MACRINO.

E1_227 v.1 Gallia tres habuit doctosque piosque poetas,
 2 vis quibus una fuit, unica Musa tribus.
 3 Ex illis duo sunt, retinet quos Gallia vates,
 4 tertius a propria pellitur ille domo.
 5 Hunc Genabum, <Musas> Charitesque novemque sorores, (vers
 6 et Stephanum expulsus Gallia tota dolet. lacuneux)
 7 Nescio quo fato praedixerat ipse poeta,
 8 scribo Tomitanis carmina digna Getis.

AD MAINUM.

E1_228 v.1 Cur tibi Franciscus tria pignora cara, Maine,
 2 credit ? Hoc probitas, dexteritasque facit.
 3 Qui teneram exornes formesque, Maine, juventam,
 4 te solum Galli curia Regis habet.
 5 Munus obi et linguas doceas tres discere fratres,
 6 Regis opes post haec experiere tui.

DE BRIXIO, ET MACRINO.

E1_229 v.1 Mirantur veteres suos poetas :
 2 hoc saeclum genuit duos Marones
 3 Nasonesque duos, Propertiosque,
 4 Flaccos et geminos, duos Catullos,
 5 Pontanosque duos, duos Marullos,
 6 Varrones geminosque Martiales.
 7 Felix Gallia ! Brixium et Macrinum,
 8 hos summos peperit duos poetas.

AD RUELLIUM MEDICUM.

E1_230 v.1 Jam novus Hippocrates, nova sunt documenta Galeni,
 2 jam medicina tuo munere facta nova est.
 3 Scis verbum verbo sapienter, docte Ruelli,
 4 Atticaque in Latios vertere scripta sonos.

IN TARTESIUM GYMNASIARCHAM IMPOSTOREM.

E1_231 v.1 Infelix primo regnans Tartesius anno
 2 Burdigalae perdit se populumque suum.

AD BOHERUM.

E1_232 v.1 Ad cenam volui vocare nuper
 2 te unum cum sociis tuis, Bohere.
 3 Nec te, nec socios habere nuper
 4 convivas potui : rogo, quid obstat ?

AD MARCUM.

E1_234 v.1 Mensuram mihi, Marce, consularem
 2 mittis, cum famulus dari requirit
 3 vinum pervetus, atque liberale.
 4 Vis dicam tibi, quid dari peroptem,
 5 quo gratum mihi nil magis futurum est ?

6 Mensura sine consulare vinum.

DE DORONI NUMISMATE.

E1_235 v.1 Doronus mihi pervetus sodalis
 2 Romanum mihi pervetus numisma,
 3 quo nil pulchrius aut magis vetustum,
 4 ultro, sponte, lubens dedit sodali.
 5 Illi ut munera nulla jam remittam
 6 tam caro, placido, pio sodali,
 7 paupertas facit impotenter urgens.

DE COLARTO ET UXORE.

E1_236 v.1 "Quod possum, hoc facio." conjux tamen improba clamat,
 2 vir faciens facit hoc quod facit ipse nihil.
 3 Hoc peto num facere appellas, dic, improba conjux,
 4 numquam non venter quod tumet ipse tuus ?

DE JACOBO FABRO STAPULENSI.

E1_237 v.1 Christus deliciae senis modesti,
 2 Christus perfugium senis trementis,
 3 Christus divitiae senis pudici,
 4 Christus praesidium senis caduci,
 5 Christus lautitiae senis benigni,
 6 Christus sola fides senis colendi,
 7 Christus mens, animus senis tacentis,
 8 Christus spiritus est senis loquentis,
 9 Christus vox resonans senis canori,
 10 Christus gloria, laus senis dolentis,
 11 Christus pax, requies senis fidelis,
 12 Christus sancta salus senis pusilli,
 13 Christus rex pius est senis periti,
 14 Christus dux, dominus senis verendi,
 15 Christus iudicium senis parati,
 16 Christus terminus, et scopus studentis,
 17 Christus principium senis jocosum,
 18 Christus finis erit senis beati.
 19 Hunc unum canit, aemulatur unum,
 20 hunc unum veneratur, hunc honorat,
 21 illi uni studet et cupit placere,
 22 unum unum timet, atque confitetur,
 23 qui excussis tenebris diem reliquit,
 24 humani generis jugum relaxans,
 25 passis vulneribus, necis dolore,
 26 probris omnibus, omnibus flagellis ;
 27 sunt haec praedia, cogitationes,

28 sunt hae divitiae senis disertis,
 29 cui multus (scio) Christus est in ore,
 30 cum mundi abjiciat venena, sordes,
 31 mundi blanditias, opes repellat,
 32 et quicquid mala mens habet laborum.
 33 O Fabrum semel, et quater canendum,
 34 senem floridulum, senem virentem,
 35 mirandum magis, et magis stupendum,
 36 laudandum magis et magis colendum,
 37 quod fert pectore, fert in ore Christum.

AD ROSELLUM DE TRONSONO.

E1_238 v.1 Tronsonum quod amas, mihi res pergrata, Roselle,
 2 ille etenim puro dignus amore vir est.
 3 Illius et formam comptam mentemque pudicam,
 4 si quisquam novit, nosse, Roselle, reor.
 5 Mercurius quondam forma, virtute placebat,
 6 Juppiter et forma conspiciendus erat.
 7 Formosum veteres docti pinxere Lyaeum,
 8 formosam Venerem filiolumque magis,
 9 at nihil ad nostrum Tronsonum, care Roselle,
 10 nam superat fictos moribus ille Deos.

AD ANDREAM ZEBEDAEUM.

E1_239 v.1 Accepi, Zebedae, datum missumque numisma,
 2 quo mihi nil prius est nec prius esse potest.
 3 Exesum ac vetus est, legitur tamen atque videtur.
 4 Exsculptum quicquid posse juvare putem.
 5 Barbata est facies, signatum denique nomen
 6 Marci Antonini, laurigerumque caput.
 7 Saepe precor, Zebedae, numismata talia mittas :
 8 illa oculos pascunt, illa animum rapiunt.

CHRISTUS PROMISSUS.

E1_240 v.1 Promissum nobis Christum cecidere prophetae,
 2 promissum exsolvit nunc Deus omnipotens.

CHRISTUS CONCEPTUS.

E1_241 v.1 Unica spes hominum divina Spiritus arte
 2 purus de pura virgine factus homo est.

CHRISTUS NATUS.

E1_242 v.1 Natus homo est nobis homines servare paratus :
2 exortu occasum sustulit ille suo.

CHRISTUS PASSUS.

E1_243 v.1 Pontius insontem damnat sine crimine Christum,
2 atque sub hoc Christus iudice passus obit.

CHRISTUS CRUCIFIXUS.

E1_244 v.1 Post flagra, post colaphos diraeque opprobria gentis
2 in cruce stans Christus tela necemque tulit.

CHRISTUS MORTUUS.

E1_245 v.1 Mortuus ille quidem, tamen haec mors janua vitae est.
2 Nam moriens nobis vita, salusque fuit.

CHRISTUS SEPULTUS.

E1_246 v.1 Discipuli tumulo claudunt pia membra Tonantis,
2 et regem mundi continet urna brevis.

CHRISTUS RESURGENS.

E1_247 v.1 Absolvit triduum in tumulo, subitoque resurgens,
2 ille aliis vitam reddidit, ille sibi.

CHRISTUS ASCENDENS.

E1_248 v.1 Ascendens caelum radiantia sidera fecit,
2 Patrisque ad dextram se dedit usque sui.

CHRISTUS VENTURUS.

E1_249 v.1 Post haec venturus persolvit praemia cunctis,
2 mercedem justis, suppliciumque malis.

AD MARULLUM.

E1_250 v.1 Cum de virtute, ingenii candore, pudicis

2 moribus, a doctis quaestio multa foret :
 3 quisque genus, patriam, nomenque, domumque, laremque,
 4 quisque suas prudens extenuabat opes.
 5 Tum quidam urbanus, vos vos contemnite, dixit,
 6 si nihil in vobis, sint mea vestra, volo.

IN MAURUM GRAMMATICUM.

E1_251 v.1 Cur tibi cum Stephano res est, dic, Maure, Doletio ?
 2 Cur toties clamas "bella cruenta paro" ?
 3 Bella cruenta paras numquam nocitura Doletio :
 4 non metuit tussim, nec sine dente senem.
 5 Est facile armato prosternere corpus inerme :
 6 contemnit strepitus, putide Maure, tuos.
 7 Contemnit nugas, vires moresque Doletus,
 8 contemnit dentes, seditiose, tuos.
 9 Desperanda tibi est ingens victoria, Maure,
 10 tu leporis vires, ille leonis habet.
 11 Declines campum vel nomina, Maure, necesse est :
 12 haec sunt, haec miseri munera Grammatici.
 13 Quid nunc magnanimi irritas lepus ora leonis ?
 14 Non nisi bellaci victus ab hoste cadet.
 15 Quid frendes hircose senex, sine viribus, effrons ?
 16 Audes cum tanto conserere hoste manus ?
 17 Stulte senex, taceas, taceas, indocte magister,
 18 stultitiae proles garrula disce loqui.
 19 Quid tenebris claro cum lumine, Maure, Doletio ?
 20 Discipulos discas stulte docere tuos.
 21 Quod rodis, rides absentis nomen amici,
 22 ad stomachum faciunt non satis ista meum.
 23 Res tibi cum pueris non est, quos lumine torvo
 24 aspiciens, tricas barbariemque doces.
 25 Res tibi cum docto, stultissime Maure, poeta,
 26 res tibi cum docto Rhetore grammaticae.

DE CAPELLA, FRANC. REGIS MEDICO.

E1_252 v.1 Cum medicina foret tantis vexata periculis,
 2 nullus ut affictae jam dare posset opem.
 3 Praebuit ille alii dare se quod posse negabant,
 4 solus et oppressae pharmaca laeta parat.
 5 O medicum medicina probum medicumque fidelem,
 6 qui desperatae fert tibi solus opem.
 7 Ille tuum potuit solus relevare dolorem,
 8 ille tui causam vulneris explicuit.
 9 Hunc Pallas genuit, summus nutrit Apollo,
 10 omne genus morbos Hippocrates docuit.
 11 Hoc vivo medicina tibi tum vivere dulce,
 12 dulce etiam fuerit cum moriente mori.

AD CAPELLAM, CAPELLAE MEDICI FILIUM.

E1_253 v.1 Si possem, mitras, petasum, cynam atque tiaram
 2 aptarem et capiti nunc diadema tuo.
 3 Pileolum offerrem clavatum insigne laboris,
 4 vincirentque tuam laurea sarta comam.
 5 Sed, quia non adsunt haec splendida dona, galerus
 6 ornabit doctum docte capella caput.

DE TURPILIONE.

E1_254 v.1 Turpilio vestem studio inflammatus habendi,
 2 pannum (ut fit) magno comparat aere sibi.
 3 Sartorem appellat, mensuram corporis ille
 4 diviso panno Turpilionis habet.
 5 Pannum in frusta secat sartor, tum colligit atque
 6 ex illo efficitur non inhonesta toga,
 7 Turpilio facta miser abstinet et timet uti
 8 stulte, asservanti fur rapit atque fugit.
 9 Fur tandem vestem proprium convertit in usum,
 10 Turpilio lacerus nunc sine veste dolet.
 11 Proque toga laxa togula vilemque putremque,
 12 at fur pro togula fertque refertque togam.

AD FRANC. PAIOTUM.

E1_255 v.1 Non possum, Francisce, tuum non pectus amare,
 2 non umquam possum non meminisse tui.
 3 Vita placet, sunt grata mihi tua dulcia dicta.
 4 Non possunt tua non scripta placere mihi.
 5 Maxima turbatis tribuis solatia rebus,
 6 teque mei memorem nec piget esse mali.
 7 Dulcius, aut illustre magis quid te esse putabo,
 8 cum tibi nil me uno carius esse potest ?
 9 Par studium nobis, virtus par, parque facultas,
 10 par aetas nobis parque eademque domus.
 11 Parque solum nobis, triplices discreta per oras
 12 Gallia dat, cunctis quae cumulata bonis.
 13 Belgica terra duos genuit docuitque Tolosa,
 14 Bellovacum tibi dat, dant mihi tecta, Remi.

DE PAULO PONTIFICE.

E1_256 v.1 Clementem superi nobis rapuere benignum
 2 Pontificem, extinctum Gallia nostra gemit.
 3 At Paulo fuerit quod totus creditus orbis,

4 summo hoc laetatur Gallia Pontifice.
 5 Jam valeant stulti, valeat gens perdita luxu,
 6 jam valeant fictae religionis opes.
 7 Jam valeant commenta hominum, jam somnia, nugae,
 8 Paulus Olympiaca missus ab arce redit.
 9 Jam valeant larvae, valeant qui praeter amictum
 10 non micam sanctae religionis habent.
 11 Jam valeant per quos ridentur scripta bonorum,
 12 Paulus adest Paulum voce animoque docens.
 13 Interpres Pauli Paulus sensa abdita monstrat,
 14 quid fugiat, noscit, quidve sequatur, habet.
 15 Ille aperit Christi sanctissima dogmata Paulus,
 16 intonat ore fidem justitiamque Dei.
 17 O jam praefulgens, depulso turbine, verum,
 18 o jam libertas libera Christicolum.
 19 Jam nova jam Christi rediit doctrina, sepulta est
 20 vafrities, colitur solus in orbe Deus.
 21 Thesaurus Christi, gemmas mentemque recludit,
 22 delicias, regnum, praedia, tecta, domos.
 23 Virtutes, vitam Paulus, sic fortia facta,
 24 atque sui Regis tollit ad astra genus.
 25 Paulo, dispeream, similis si visus in orbe est ;
 26 ingens Pontificum gloria Paulus erit.
 27 Contemptor scelerum tranquillae munera pacis
 28 Paulus amat, lites interiisse cupit.
 29 Dicite felices, jam dicite, dicite, Christi
 30 servus servorum dicite Paulus adest.
 31 Dicite, Christicolae, jam dicite, dicite Paulum
 32 atque patrem patria dicite terra tenet.
 33 Paulus adest triplicem dignus gestare coronam,
 34 Christi Evangelium pectore et ore gerem.

DE UTROQUE PARENTE.

E1_257 v.1 Urna brevis geminos quamvis tenet ista parentes,
 2 attamen in caelo spiritus unus erit.
 3 Unanimes vixere simul, simul atque sepulti,
 4 sensus, amor, studium parque duobus erat.

AD LIBELLUM.

E1_258 v.1 Castigans alios audes prodire, libelle,
 2 tu castigandus cum prius ipse venis ?

EPITAPHIUM EURIPIDIS.

E1_259 v.1 Siste, quid ista docent, precor, aspice scripta, viator :
 2 hac jacet Euripides carmine clarus humo.

3 Hoc monui plorans, lacrimas quoque mitte viator,
4 te moneo, hoc unum sit monuisse satis.

EPITAPHIUM TRIUM FILIARUM PACI DOCTORIS TOLOSANI.

E1_260 v.1 Tres tribus in tumulis claraeque piaequae puellae
2 ante diem parva contumulantur humo.
3 Tres, quibus unus erat genitor, fuit unica mater,
4 unum cognomen, patria et una tribus.
5 Par tribus et facies, qualem decet esse sororum,
6 par tribus ingenium, par quoque forma tribus.
7 Tres Charites deflent, deflent tres ordine Parcae,
8 tres Veneres, Musae, maesta elementa gemunt.
9 Tres fratres, tres semideae, tres semipuellae,
10 tres claudi ante diem trinaque cuncta dolent.

AD JACOBUM LODOICUM STREBAEUM.

E1_261 v.1 Vis dicam, Lodoice, aliis quid distet ab oris
2 Gallia ? Plus propriis curque aliena probet ?
3 In promptu causa est, contemnens Gallia Gallos,
4 plus alienigenis quam dedit illa suis.
5 Quae sua sunt, aliae gentes mirantur et ornant :
6 nos fatuos famulos Gallia nostra putat.

DE TRILLANI SCRIPTIS AD BOYSSONEUM.

E1_262 v.1 Trillanus legum summo inflammatus amore,
2 haec tibi perdocto scripta dicata cupit.
3 Sed prius expossit tecumque paciscitur ille,
4 scriptorum et custos censor et esse velis.
5 Ut, si forte aliqua placidas irrumpat in artes,
6 ille tua instructus se tueatur ope.
7 Si tibi scripta placent, cunctis placuisse putabit :
8 displicuit nulli quod tibi complacuit.
9 Ergo dicata tuas patiantur scripta lituras,
10 ergo age censuram iudiciumque ferant.

DE COMETA PAUPERE, ET LAHETO DIVITE PATRONO.

E1_263 v.1 Qua posset fieri dives ratione Cometam
2 consuluit felix saepe Lahetus homo.
3 "Consilium hoc dono, mea tu vestigia serves,
4 servando felix sic, puto, dixit, eris."
5 Huicque Lahetus ait, "Facerem, verum arta domi res
6 est tibi, consilium tale datur misero.
7 Ast ego te excuso, proprium facis ipse Cometa,

8 errans vix possis reddere consilium."

AD REMUNDUM BOYSSONEUM EXHORTATIO.

E1_264 v.1 Vis felix, vis, care puer, prudensque videri ?
 2 Vis fieri, qualem te decet esse, puer ?
 3 Fac scelere abstineas, foedataque pectora purga ;
 4 formido excruciet corque animumque premat.
 5 Nil stultum, nil turpe velis nec causa pudoris
 6 sis tibi, nec facias non facienda aliis.
 7 Nil metuas cupiasque nihil, Christumque precare,
 8 quod satis est, noscas, det satis esse tibi.
 9 Nulla sit atque tuae menti male posse voluntas,
 10 semper ut ipse Deus det bene posse roga.
 11 Sis doctis studeasque bonis, sis carus amicis,
 12 sit tenuis census, sit tenuisque habitus.
 13 Sis animo validus, sis corpore, nullaque frangant
 14 crimina, tranquillae sit tibi cura viae.
 15 Servator Deus, ac Dominus sit semper in ore,
 16 gloria, pax, verbum, spes bona, sola fides.

AD JACOBUM OMPHALLIUM.

E1_265 v.1 Plus aliis sibi quam tribuit cur Gallia quaeris ?
 2 Quod capitur rebus Gallia nostra novis ?
 3 Cognita despiciamus, nulla ratione probamus
 4 extera, delectu Gallica terra caret.

AD JOANNEM HANINUM.

E1_266 v.1 Immortale nihil, nihil est durabile semper,
 2 more fluentis aquae cuncta creata fluunt.
 3 Stant urbes, stant regna hominum statque optima tellus,
 4 Templam Deum, nunc stant tecta superba Ducum.
 5 Stant simulacra, domus, stant stemmata, castra, tabellae,
 6 stat mare, stant silvae, sidera clara poli.
 7 Tempus erit quo flamma rapax illa omnia tollet
 8 et mundi praestans conteret ignis opus.
 9 Tempus erit quo praecipiti mors turbida telo
 10 omnes momento temporis arripet.
 11 Tempus erit quo mundus erit nil, praeter abyssum,
 12 tempus erit fient quo modo facta nihil.
 13 Ergo age, fac tua mens falsi sine crimine vivat
 14 puraque sit nullis commaculata notis.

DE LAHETO, ET COMETA.

E1_267 v.1 "Si vis esse aliquid miser Patrono
 2 Regis, Causidicus Cometa dixit,
 3 nostros, ante oculos, habe labores,
 4 ut nos, sic poteris beatus esse."
 5 Subridens misero Lahetus inquit :
 6 "Erras, quodque tuum facis Cometa,
 7 essem te duce ter, quater misellus."

EPITAPHIUM WASBURGII.

E1_268 v.1 Vixi quod volui, volui quod fata volebant,
 2 nec mihi vita brevis, nec mihi longa fuit.

AD RICHARDUM.

E1_269 v.1 Quattuor una domus stultos nutrit amantes,
 2 quos uno in lecto junxit iniqua Venus.
 3 Juncta seni juvenis, juveni sociata senilis,
 4 illa cupit juvenem, poscit et ista senem.
 5 Namque anus annosum, juvenis quaeritque puellam,
 6 junge pares paribus, res erit aequa, Venus.

IDEM AD EUNDEM.

E1_270 v.1 Juncta puella seni, vetulae nupsitque puellus,
 2 nec placet ista viro, grata nec illa suo.
 3 Annosa annosum, repetitque puella puellum :
 4 Vis bene conveniant, Cypria ? Junge pares.

AD MARULLUM.

E1_271 v.1 Vivere vis summa, cum conjuge, pace, Marulle ?
 2 Quod jubet hoc facias, quod vetat illa, fuge.

IN AVARUM.

E1_272 v.1 Arca tumet nummis, socios nec pascis egentes,
 2 si posset, miseros pasceret, arca loqui.
 3 Arca magis tute es quam quae tibi pondera servat :
 4 arcae tu, illa hominis nomine digna fuit.

AD ROB. BRITANNUM.

E1_273 v.1 Jam, Britanne, tuum vides libellum
 2 bellum, candidulum, pium, pudicum,
 3 tersum, dulciculum, probum, paratum,
 4 per doctas hominum volare voces,
 5 per multas hominum manus volare,
 6 quo nil cultius aut magis politum,
 7 quo nil dulcius aut magis canorum,
 8 quo quid comptius aut magis venustum ?
 9 Quo quid pulchrius aut magis benignum ?
 10 Quo, quid doctius aut magis disertum ?
 11 Aetas haec potuit videre nostra,
 12 aut aevum potuit patrum tenere
 13 bello, candidulo, pio, pudico,
 14 terso, dulciculo, probo libello ?

DE RUSTICO ET AULICO.

E1_274 v.1 Exiguam Regi rapam dat rusticus, illi
 2 pro rapa centum Rex jubet inde dari.
 3 Aulicus eximia doni novitate movetur,
 4 "Pro magno, dixit, Rex meliora dabit."
 5 Aemulus emit equum docilem, Regi obtulit, hujus
 6 Rex fraudem insolita pellere fraude parat.
 7 "Aulice, Rex inquit, rapam pro munere reddo,
 8 quod dat rusticus, hoc aulicus ille capit."

DE FRAXINO LEGULEO.

E1_275 v.1 Orator malus et parum disertus,
 2 Boysseni cupiens probare famam,
 3 et laudare viri genus domumque
 4 ac mores hominis politiores,
 5 "Boyssenus puer est venustus, inquit,
 6 hunc laudant Veneres Cupidinesque,
 7 ornatam phaleris habetque mulam."
 8 O rem ridiculam et nimis jocosam,
 9 non laudare hominem est probare mulam.

IN PALLUM.

E1_276 v.1 Sponte tua injussus, Palle, ignorante magistro,
 2 multa facis quae te si jubet ipse negas.
 3 Plus herus inservit tibi quam tu serve magistro :
 4 sic dominus servus, qui famulatur, herus.

AD P. COLARTUM.

E1_277 v.1 Si mihi divitiae Croesi, si pondera Crassi,
 2 venaque Vergilii, vel Ciceronis opes,
 3 cara daret carum nostra haec cognatio munus,
 4 atque tibi faceret carmine Musa satis.
 5 Nunc me paupertas patria procul urget ab urbe,
 6 et mihi, pro strenis mittere parva, grave est.
 7 Mittimus ergo tibi languentis carmina Musae,
 8 si recipis laeta fronte, beatus ero.

IN GERMANUM QUEMDAM, DE BERALDO.

E1_278 v.1 Qui laudas, simul et temnis, Germane, Beraldum,
 2 mel dulce emittens, fel quoque ab ore senex,
 3 nescio quid de te promittas, garrule ; namque
 4 nemo sapit, simul et desidiosus homo est.
 5 Ille nequit magni fugitantior esse laboris,
 6 quem perimunt curae sollicitantque graves.
 7 Obruitur variis variaae terroribus aulae,
 8 quodque Beraldus agat, garrule, semper habet.
 9 Hic docet atque studet, meditatur, scribit amicis,
 10 nulli praetereunt absque labore dies.
 11 Componit, loquitur, dormit vigilatque Beraldus,
 12 pigritiae hunc peragis, desidiaequae reum.
 13 Te semel, atque iterum Galli, Germane, precantur,
 14 ni prodesse velis, garrule, ne noceas.

IN CORVISIANUM CAUSIDICUM.

E1_279 v.1 Nec causas tractas nec amicis consulis ipse,
 2 unde datur laute vivere posse diu ?
 3 Praedia nulla tenes, nec, Corvisiane, laboras,
 4 unde tibi victum, Corvisiane, paras ?
 5 Nil faciens facit ipse satis, cui femina pulchra est :
 6 nil facias, dicis, si patiare, facis.

AD JACOB. LODOICUM STREBAEUM.

E1_280 v.1 Sis vindex, judex, index, Lodoice, libelli :
 2 indice, vindice te et iudice tutus erit.

AD JULIAM.

E1_281 v.1 Tempus erat quo sola mihi tua forma placebat,
 2 praeferrere et poterat nulla puella tibi.
 3 Tempus adest quo sola mihi tua displicet aetas,

4 postponi atque tibi femina nulla potest.
 5 Tempus erit quo talis ero, nam labitur hora.
 6 Tumque iterum dicam "Julia, sola places."

IN VACERRUM.

E1_282 v.1 Os, nares, cunnum uxori miraris olere,
 2 desine mirari, hoc namque, Vacerre, facis.

IN TARTESIUM.

E1_283 v.1 Otia quod tollat nolens Tartesius, hoc est,
 2 nam sine mensura desidiosus erat.
 3 Non mirum est, quod nunc neglectis cogitur uti,
 4 nam sine mensura luxuriosus erat.
 5 Non mirum est quod rura colat, quod praedia in urbe,
 6 nam sine mensura deliciosus erat.
 7 Hoc mirum est quod prospiciat jam se esse caducum,
 8 nec sine mensura desinat esse malus.

AD GERMANUM AUDEBERTUM.

E1_284 v.1 Vis te germanum agnoscam, Germane ? Probemque ?
 2 Germanum (ut par est) pectus amoris habe.

AD BILUM.

E1_285 v.1 Si toties faceres quoties tua Ruffa requirit,
 2 quae nunc multorum est, tunc tua Ruffa foret.
 3 Sed tu quod nescis nec vis, sed nec potes ipse,
 4 causa est ex aliis cur tua Ruffa petat.
 5 Scortillum est, spargis, violat, mea Ruffa , cubile.
 6 Non vitium Ruffae, sed tua culpa, Bile, est.

DE REGE, ET CARBONARIO.

E1_286 v.1 Carbonarius et miser lacerque
 2 Regem repperit unicum vagantem,
 3 cui Rex : "Rustice, me domum reducas,
 4 demonstras ubi sit tuum cubile,
 5 errans sum nimio labore fractus."
 6 Excusans humilem casam recusat
 7 carbonarius et negat petenti.
 8 Tandem rex precibus movet negantem,
 9 et lassus tenuem domum subintrat.
 10 Carbonarius hunc rogat benigne :

11 "Oro, si tibi forte non molestum est,
12 dic tu, quisquis es o genus parentum,
13 dic nobis ubi sint tui sodales.
14 Quid tu per nemus hoc facis ? Precor te.
15 Nae tu nobilis et potens videris",
16 tractus progenie a Ducis tremendi.
17 "Hospes, questio nulla sit parentum,
18 qui sim, qui fuerimque, qui futurus,
19 qui sint, atque ubi sint mei sodales,
20 quot pascam famulos perinde, tantum
21 procures peto sit parata cena."
22 "Nil est quod tibi jam putem placere,
23 nil est quod tibi praebeam petenti :
24 cenabis tu hodie parum beate.
25 Solum adsunt botuli gravesque porri,
26 ova et coliculi rubensque lardum,
27 et pallens faba caseusque durus,
28 molles castaneae levesque malvae :
29 parva est cenula, non potes negare."
30 Carbonarius inquit ista Regi,
31 "Si essem dives opum, potentiorque,
32 cenares melius beatiusve,
33 offerrem tibi, si domi quid esset.
34 Sed nunc me miserum malique fati,
35 o nunc me miserum magis magisque,
36 o nunc me miserum nimis, nimisque,
37 cui tantum dominum datum videre,
38 cui tantum excipere hospitem negatum.
39 Parce (inquit) mihi, quisquis es, misello,
40 et vultu placido potens recumbe,
41 haec est cenula, jam, precor, recumbe."
42 Rex instat, tamen et precatur ille :
43 "Hoc dones mihi, tu prior recumbas."
44 Rex instat magis, ac magis roganti.
45 Urget rusticus, et premit negantem.
46 Cum nullis precibus movere posset,
47 tandem "Te volo", dixit, "hic cubare,
48 sum rex ipse domi meae, recumbe."
49 "Quod vis, hoc volo", Rex ait, "recumbo."
50 Servit imperio accubatque jussus,
51 ridens obsequitur refertque secum,
52 "Non est hic dominus, sed Imperator."
53 Adsunt interea Ducis ministri,
54 cum magna procerum et Ducum caterva ;
55 pulsant ostia et hospitem requirunt,
56 de Rege et Domino petunt trementes
57 an sit : "Nescio quis domi recumbit."
58 (Carbonarius hoc ait ministris).
59 Intrarunt famuli casam suumque
60 Regem conspiciunt, suum Ducemque
61 ad mensam exiguum vident sedentem.

62 Exorti subito joci salesque,
 63 expulsae lacrimae gravesque curae.
 64 Apponuntque dapes coci et ministri,
 65 perdices, lepores, apros, palumbes,
 66 et quae grata sui Ducis palato.
 67 Nota est fabula, rusticus suumque
 68 regem, ut det veniam, precatur instans.
 69 Quem Rex munere maximo beavit.

AD DANESIUM.

E1_287 v.1 Te reducem tua gens optat, Schola tota, Danesi,
 2 ut venias felix nocte dieque rogat.
 3 Jam multa vel nocte veni, illucescet in urbe
 4 sol : clara et doctis te veniente dies.

AD GUL.SCAEVAM.

E1_288 v.1 Cantata est Nemesis, cantata est Cynthia, versus,
 2 Stella, tuos, et habet, Naso, puella tuos.
 3 Et tibi Quintilia, et satis est tibi nota Lycoris
 4 sive sis Eous, sive sis Hesperius.
 5 Lesbia vivit adhuc et, per te, Fannia, vates,
 6 vivere cum priscis, Parthenopaeae, potest.
 7 Phyllida nescio quis, te Caelia protulit alter,
 8 Galla suas laudes, ac habet Aura suas.
 9 Nomine sed ficto : fuit haec reverentia sexus,
 10 ne quid in has temere juris haberet Amor.
 11 Scilicet hoc possent Musae, ut sine crimine famae
 12 vatibus aeternant corda dicata suis.
 13 Ut sileam veteres, sic tot victura puellis
 14 nostra uno vatium munere saecula patent.
 15 Delia jam Rhodano, jam Glaucia nota Garumnae,
 16 Tybri tuas profers, exseris, Arne, tuas.
 17 Sic tua, quae, veterum vates non pessime vatium,
 18 Scaeva, olim a calamis in tua plectra ruit,
 19 Sylvia, tot meruit mentito nomine cantus,
 20 tot lyricos et tot carmina, teste Pado.
 21 Aeternum victura, modo, non carmina, sed tu
 22 ne invidias Dominae saecula futura tuae.
 23 Jam tegit ossa solum, quid si tu cetera ? Saltem
 24 non ego, si quid erit nostra Thalia, feram.

AD MUTUM.

E1_289 v.1 Tu mihi cum bene vis, compresso pollice signas ;
 2 cum male, transverso saepe notare soles.
 3 Ipse salutari digito perspecta reducis,

4 illo etiam docte multa tacenda doces.
 5 Illustrem vitiis me multo et crimine reddis,
 6 infamem extendis, porrigis et medium.
 7 Proximus a minimo medicus monstratur amico,
 8 mens mea cum nullo commaculata malo est.
 9 Praecipis esse brevem, faciam cito jussa, laboras,
 10 ultimus offertur tum minimusque datur.
 11 Quis te tam belle docuit describere ? Lingua
 12 non opus est, loquitur cum tibi docta manus.

AD LODOICUM STREBAEUM.

E1_290 v.1 Cur tu deploras vitam, Lodoice ? Nec ulla
 2 munera sorte tua sordidiora putas ?
 3 Quod facis, hoc faciunt docti, fecere potentes,
 4 munere nulla tuo res generosa magis.
 5 Id praestas aliis, te quod docuere magistri,
 6 deque rudi factus stipite doctus homo es.
 7 Sit tibi jucundum teneram informare juventam,
 8 munere nulla isto res pretiosa magis.

IN LUDIMAGISTRUM QUENDAM.

E1_291 v.1 Feminum et commune genus neutrumque magister
 2 cur vitat, nescis ? Plus amat ille mares.

AD PONTIUM CHOPINUM.

E1_292 v.1 Quid de fortuna quereris ? Quid tempora ploras ?
 2 Te miserum dicis perpetuoque fore ?
 3 Hoc dicunt stulti. Sapientis dicere, Christus
 4 turpia castigat, post meliora dabit.
 5 Quis poterit superum causas cognoscere ? Vivam
 6 nemo hodie posset dicere, cras moriar.
 7 Nunc rides pellisque graves de pectore questus,
 8 cur lacrimas mittas, cras dabit hora tibi.
 9 Si bona pertuleris, mala sunt toleranda : favebat
 10 totus heri tibi qui pessimus hostis adest.
 11 Quid facias, Chopine, petis ? Te respice. Nemo est,
 12 Qui melius noscat te tibi quid sit opus.

DE CLINIA.

E1_293 v.1 Candida subridens mihi dixit Clinia : "Mittam,
 2 ante duos, violas, lilia, mala, dies."
 3 A fronte, a tergo, circum circa ipse reflecto,
 4 ad dextram, ad laevam, terque, quaterque oculos.

5 Exspecto donec veniant promissa, puellae
 6 a domina pacto tempore dona ferunt.
 7 "Vultei , quae major erat, (sic ore locuta est)
 8 accipe, sunt Dominae munera parva tuae."
 9 Accipiens munus reddo pro munere grates,
 10 et dominam jubeo rite valere meam.
 11 Dum studeo os, oculos, nares hoc pascere dono,
 12 nil nisi pictura est, quod dedit illa mihi.
 13 Cerea pruna, nuces, violas et lilia, anethum,
 14 contexta et misit laurea sarta manu.

IN DELTICUM.

E1_294 v.1 Cum tibi do versus, sordent mea munera ; mitto
 2 argentum et nummos, hoc bene munus olet.
 3 Sat scio cur rogitas nummos, non carmina : porci
 4 praeponunt niveis stercora foeda rosis.

DE GALLIS AD FRANCIS. DUCAEUM.

E1_295 v.1 Itala gens non sic, non sic Hispania Regem
 2 observat quam nunc Gallia tota suum.
 3 Suspiciunt Galli Gallum, admirantur, et ille
 4 quod cupit, id factum Gallia tota cupit.
 5 Humano humana est Regi cur Gallia Gallo,
 6 miraris ? Bonitas principis ista facit.

IN MAURUM.

E1_296 v.1 Quotidie emittis nugas stultosque libellos,
 2 qui jam cum tineis acria bella gerunt.
 3 Promittis meliora : bene est, nam scripta peribunt
 4 omnia, ni properes haec meliora dare.

IN EUMDEM.

E1_297 v.1 "Edent haeredes post funera nostra libellos,
 2 post mortem incipiam vivere", Maurus ait.
 3 Hoc verum, haeredes blattas, tineasque relinquet,
 4 vivere quae ut possint, praedia patris edant.

DE VERGILIO.

E1_298 v.1 Sive fuit figulo, seu mercatore creatus
 2 Vergilius, nullum saecula tulere parem.

AD REG.GALLORUM.

E1_299 v.1 Te vivo, vivum, Rex, regnum , Galle, manebit
2 Gallorum ; et te uno, Rex, moriente, ruet.

DE VERGILIO.

E1_300 v.1 Cum curaret equos medica venerabilis arte,
2 et Maro naturam redderet ille canum,
3 Augustus parvo mercedem munere pensat,
4 et medico panes porrigit exiguos.
5 Augustus Rex ipse genus patriamque domumque
6 Vergilium rogitat quoque parente satus.
7 Tum, fixis oculos oculis, Maro prospicit, illi
8 respondens : "Genitor, Rex, tibi pistor erat."
9 Quaerenti causam dixit Maro : "Maxime Regum
10 hoc verum exaudi qua ratione putem.
11 Summa tibi dum summe ducum documenta recludo,
12 reddis pistoris nil nisi dona mihi.

AD FRANCISCUM GAL. REGEM.

E1_301 v.1 Ante tuum regnum Regum gens Galla ministros
2 oderat, et famulos docta Minerva Ducis.
3 At nunc summus amor Gallis, Francisce, tuorum,
4 et famulos Regis docta Minerva colit.
5 Hoc placidi mores faciunt artesque Magistri,
6 jamque sui speciem Gallia Regis habet.

AD SEBASTIANUM GRYPHIUM.

E1_302 v.1 Scripta notata manu, Gryphi dum candide mitto,
2 haec tibi commendo de meliore nota.

AD CAROLUM AUREL. DUCEM, FRANCISCI REGIS FILIUM.

E1_303 v.1 Vita brevis quantis fuerit subjecta ruinis,
2 per superos oro, dum legis ista, vide.
3 Unica vita hominum, mors unica, et unica virtus,
4 unica spes, Christus solus, et una salus.
5 Una fides cunctis mortalibus, unica justis
6 janua, sed centum spicula mortis habes.
7 Hic proprium proprio corpus transverberat ense,
8 hic vocat externas in sua fata manus.
9 Ille patris manibus jugulum submittere nolens
10 cogitur, et matris vulnera ferre suae.

11 Ille patrem, matrem ille necat, fratrem ille, sorores,
 12 inque soror fratris dirigit arma caput,
 13 hic thalamum uxoris respergit sanguine, conjux
 14 saepe datur leto conjugis arte suae.
 15 Hic mersus fluvio, hic loris discerptus equinis,
 16 excusus rapido concidit alter equo.
 17 Ille venenato moritur prostratus ab angue,
 18 Hic de Boleto virus habente cadit.
 19 Trux aper hunc laniat, lacerant hunc dente leones,
 20 dissecat hunc vigilum turba cruenta canum.
 21 Hunc stravit taurus, rabida est hic tigride victus,
 22 permultos variae dissecuere ferae.
 23 Ille est flagranti dejectus fulmine, poenas
 24 in cruce suffixus pertulit ille graves.
 25 Ille fame oppressus, duro alter frigore nudus
 26 occubuit, languens mortuus ille siti.
 27 Hic rapidos moriens vivus coniectus in ignes,
 28 hic praeceps summa missus ab arce ruit.
 29 Ille parum stabilis gradibus turbatur ab altis,
 30 hunc multo clausum pondere terra tegit.
 31 Pro dolor, hic subitae percussus vulnere mortis
 32 puncto, et momento temporis interiit.
 33 Huic risus peperit mortem, atque hunc rara voluptas
 34 abstulit, hic Veneris captus amore jacet.
 35 Corpora multa cibo nimioque absumpta Lyaeo,
 36 nam venter plures, quam perimit gladius.
 37 Opprimit hunc jactus lapidum murique ruina,
 38 lapsuraque suae frangitur ille domus.
 39 Hic jugulatus obit, confossaque membra sagittis
 40 illius, hunc pulex vexat, amara lues.
 41 Ille diu in foedo putrescit carcere clausus,
 42 hic ventrem exonerans non rediturus abit.
 43 Hic posuit pellem, fumo hic, unda ille gravatur,
 44 haec prolem exstinguit, dum parit, illa perit.
 45 Hic decollatus, febris occidit ille, dolore
 46 hic capitis, fluxu sanguinis ille fluit.
 47 Hic puer, hic infans moritur juvenisque senexque,
 48 aer, terra, fretum flammaque cuncta terunt.
 49 Arte sua perit hic, aliena labitur ille,
 50 cum vult ad sese mors cito cuncta vocat.
 51 Mille neces taceo, morbos, discrimina mille,
 52 mors quibus humanum destruit una genus.
 53 Unica mors de tot felix quae tempora complet,
 54 nec nisi mortales saepe vocata petit.
 55 Hanc tibi non aliam exopto, o clarissime Princeps,
 56 ut tu immortalis mortuus esse queas.

AD FRANCISCUM GALL. REGEM.

2 Esse aliquem tua vult gratia ? Sum jam aliquid.

DE ASPRO, ET HODARCA.

E1_305 v.1 Si verum est hominum semper quod fertur in ore,
 2 qui caret uno oculo, nullum habet ille oculum :
 3 una Hodarca suo caeca est cum conjuge caeco,
 4 nam dextrum haec, laevum perdidit ille oculum.

AD DENTULUM.

E1_306 v.1 Cum tibi Musa placet, perdoctis displicet, et cum
 2 Musa placet doctis, displicet illa tibi.
 3 Displiceat mea Musa tibi, fac, Dentule, semper
 4 ut tibi non placeat, tu mihi gratus eris.

AD PACUM DE BERALDO.

E1_307 v.1 Adde "o" litterulam, pervertes nomen amici,
 2 quique Beraldu erat, jam Beroaldu erit.
 3 Subtrahe litterulam, tu reddes nomen amici,
 4 qui Beroaldu erat, jamque Beraldu erit.

EPITAPHIUM CLAUDIAE REMENS.

E1_308 v.1 Hospes, siste gradum, cineres precor, aspice clausos
 2 hoc tumulo et titulum, si vacat, ipse lege.
 3 Claudia non pulchro jacet hic perpulchra sepulchro,
 4 Claudia formosas inter habenda deas.
 5 Cara fuit caro, casto quoque casta marito.
 6 Non potuit vivens Claudia plura dare.

AD FURNERIUM.

E1_309 v.1 Cur Charites nudo pingantur pectore, nescis ?
 2 Cor mundum Musis formaque nuda placet.

AD EUMDEM.

E1_310 v.1 Tres Charites nudas pictores atque poetae
 2 pingunt. Quid causae est, qua ratione, petis ?
 3 Nemo hodie aut pauci claro sub sole morantur,
 4 qui nuda Musas relligione colant.
 5 Ecquis erit princeps qui det pro carmine nummos ?
 6 Tollas Franciscum, tota Minerva perit.

7 Divitibus sordent vates, Epigrammata chartae :
 8 nummos pro numeris nec numerare solent.
 9 Si Dux aut si Rex reddat pro carmine centum,
 10 "Ah magnum, exclamat, plus dare non potui."

AD FRANCISCUM DUCAEUM.

E1_311 v.1 Te propter natale solum carosque parentes,
 2 te propter liqui limina cara domus.
 3 Te propter fratres liqui, Francisce, sorores,
 4 te propter dixi "Belgica terra, vale."
 5 Te propter silvas, campos saltusque reliqui,
 6 praedia te propter deseruisse vides.
 7 Te propter (scis ipse) gravem insumptum esse laborem,
 8 te propter (certum est) cuncta ferenda tuli.
 9 Te propter glaciem, ventos frigusque nivesque,
 10 te propter passus, quae mihi dura pati.
 11 Te propter cunctos liqui, Francisce, sodales,
 12 te propter plorans Clinia dixit "Abis ?"
 13 Te propter patriae fines quos Axona cingit,
 14 te propter visa est ecce Tolosa mihi,
 15 propter te Oceanus quicquid pater alluit undis,
 16 Burdigalam aspexi nomine saepe tuo.
 17 Te propter refluxum video, o Francisce, Garumnam,
 18 te propter leges, juraque scripta sequor.
 19 Me propter facias igitur, Francisce, requiro
 20 hoc unum, ut studii sis memor ipse mei.

AD MINUTIUM PRIM. PRAES. TOLOS.

E1_312 v.1 Cum te permulti appellant, Jacobe, Minutum,
 2 nominis invertunt prima elementa tui.
 3 I pro U consignare solent, doctissime Praeses,
 4 Munitus cum sis, tune Minutus homo es ?

AD PERSINUM.

E1_313 v.1 Fictos describam monachos, Persine, peroptas ?
 2 Qui praeter vestes nil pietatis habent.

AD CLINIAM.

E1_314 v.1 Plus oculis, plus fratre meo te semper amabo,
 2 plus patre, plus matre, et plus atavis, tritavis,
 3 si modo, quod parvum est, praestes mihi, Clinia, quaeris,
 4 Vultei hoc quidnam est ? Te scio scire satis.

DE GILERMO, ET SODALI PETO.

E1_315 v.1 Ridebat socii vices Gilermus,
 2 quod aegre et minimum miser cacaret.
 3 Petus nunc lepidi vices sodalis
 4 flet, saepe et nimium videns cacantem,
 5 et plus, quam capiat, dare hunc Gilermum.
 6 Sic risum lacrimis pius sodalis
 7 pensavit lepidi sui Gilermi.

AD POTTERIUM.

E1_316 v.1 Gratam est, quod nostros relegis studiose libellos,
 2 si modo sint abs te carmina digna legi.
 3 Sed timeo damnes, Potteri, lecta reamque
 4 tu nimiae Musam garrulitatis agas.

AD BERINNAM.

E1_317 v.1 Quid tecum annosas moechas turpesque, Berinna,
 2 per fora perque domos perque theatra trahis ?
 3 Inter anus, nisi quod mentiris saepe puellam,
 4 esse inter corvos visque canorus olor ?
 5 Tubera decipiunt tua te, nam caecior ipsa
 6 Hypsaea : haud ulli, tu tibi sola places.

DE TRASSABOTO PICTORE.

E1_318 v.1 Quaeris pictorem summum qui vincat Apellem ?
 2 Dat Trassabotum clara Tolosa tibi.
 3 Effigiem pingens tam vera hic exprimit arte
 4 vivam, ut non credas vivere posse magis.
 5 Si linguam mutis statuis conjungere posset,
 6 hunc non jactarem fingere, sed facere.

DE TABELLA AB EODEM PICTA.

E1_319 v.1 Quae claram claro depinxit Marte tabellam,
 2 Timomachum potuit vincere docta manus.

DE LIBELLO RABIRII.

E1_320 v.1 Te quid causaris laceras gestare lacernas ?
 2 Exiguo eximias dat liber aere togas.
 3 Romanas vestes, Gallas vis denique lector ?

4 Romanos, Gallos vestibus ornat opus.

IN CATELLUM.

E1_321 v.1 Index ingenii tui, Catelle,
2 est corpus, mihi crede, tortuosum,
3 horrendum, vitiosum et invenustum.

JOANNIS VULTEI REMENSIS EPIGRAMMATUM LIBER II.

(1840 vers)

AD JO. BOYSSONEUM.

E2_1 v.1 Vulteius tibi, quicquid est libelli,
2 unus dedicat, unus inter omnes
3 Vulteius tibi qui cupit placere.
4 Aspires igitur novo poetae,
5 nomen Pieridum sacrum Dearum
6 qui nosti niveo sinu fovere.
7 Quaerenti, rogo, des opem meoque
8 crescenti ingenio velis favere.
9 Et quod te liber exeat patrono,
10 non sit hoc grave, non tibi molestum.

AD DOLETUM.

E2_2 v.1 Cur mittam tibi nunc meas Camenas,
2 defesso studiis nec has petenti,
3 si nescis mihi, care mi Dolete,
4 hac sola ratione, crede, factum est,
5 mittas ut mihi tu tuum volumen,
6 tam magnum ac varium tuum volumen,
7 quam vanae, illepidae meae camenae.

AD LIBELLUM.

E2_3 v.1 I, liber, indoctas aures contemne : putato
2 auribus indoctis displicuisse bonum.

AD CL. CHOMARDUM.

E2_4 v.1 Parvum, ut describas, mitto, Chomarde, libellum,
2 non ulla poterit cultior esse manu.

AD LIBELLUM.

E2_5 v.1 Si nostrum nosti Chomardum, belle Libelle,
2 i fuge, ut exscribat, belle libelle, roga.
3 Sit licet oppressus studio, legumque labore,
4 horam carminibus, belle libelle, dabit.
5 Nil humanius est illo, nil dulcius illo :
6 consulet ille sibi, consulet ille tibi.

AD LECTOREM.

E2_6 v.1 Si tibi displiceant, linguas Epigrammata, lector ;
2 si placeant, Lector, carmina nostra, lege.

AD EUMDEM.

E2_7 v.1 Blanditur tibi lector, heus, libellus,
2 te dicens dominum suum et patronum,
3 te fortem clipeum, pium et parentem,
4 is, inquam, illepidus, malus libellus,
5 obscurus, lacerus, rudis libellus,
6 asper, rusticulus nimis libellus,
7 indoctus nimis, et parum severus
8 exire auspiciis tuis requirit,
9 multorum et manibus teri cupiscit,
10 nostram dum nimium facit Thalam.
11 Pergis perdere te, libelle, clamo,
12 auctoremque tuum ; mihi reclamat.
13 Instans vulnera multa perferenda
14 expono : magis ac magis reclamat.
15 Constans, intrepidus cupit libellus
16 castis auribus, et placere doctis,
17 respondetque mihi esse nil timendum.
18 Quare, candide lector, id requiro,
19 ne fiducia futilis libelli

20 sit, qui te dominum suum, et patronum
21 omni tempore clamat et parentem.

DE DOLETO.

E2_8 v.1 Si quisquam bonus est doctusque idemque probatus,
2 cum vera jungens simplicitate fidem.
3 Scribere si quisquam recte, si dicere possit,
4 si quisquam orator sitque poeta bonus,
5 utraque viventi est laus concedenda Doleto.
6 Hunc siquidem dotis laus utriusque decet.

AD MALHERBAEUM.

E2_9 v.1 Ad nos ni venias, o Malherbaee, jubeto
2 ad vos jam certa me properare die.
3 Quid facias, ubi sis, cupio tam scire libenter,
4 quam cui summa tuae cura salutis erit.
5 Curre, veni, venias, o Malherbaee, venito,
6 aut mihi dic subito, curre age, curre, veni.
7 Si tibi mens eadem, nostri si mutua cura est,
8 aut venias, aut dic, curre age, curre, veni.

DE GARUMNA CONCRETO FRIGORIBUS.

E2_10 v.1 Ecce Tolosanos pontes turbarat in undas,
2 aucto dum flueret forte Garumna sinu.
3 Ecce repentinos pontes struxere Decembris
4 frigora, concretam datque Garumna viam.
5 Quaque rates variis oneratae mercibus ibant,
6 nunc homines sicco cernimus ire pede.
7 Mira quidem sunt haec spectacula, mira Garumnae,
8 nam nobis pontes sustulit atque dedit.

EPITAPH. DION. BRICONNETI, MACLOVIENS. ANTISTITIS.

E2_11 v.1 Qui fuit exemplum caelestis nobile vitae,
2 in quem tot laudes, tot coiere bona,
3 quo duce relligio, pietas probitasque fidesque,
4 prasule quo felix Macloviense solum,
5 quem fors, quem ratio, mentis quem vividus ardor,
6 quemque immortalem vita beata facit.
7 Hoc tumulo situs est Dionysius ille, bonorum
8 fons vivus, verae relligionis apex.

DE EODEM.

E2_12 v.1 Qui legis haec, luctum et lacrimas compesce, viator,
 2 ullo nec turbes, qui jacet hic, strepitu.
 3 Vivit adhuc felix placidaque quiescit in urna,
 4 vivit adhuc, numquam qui moriturus erat.
 5 Ergo age qui legis haec, dic : "Vivit Episcopus ille,
 6 quo nullus toto sanctior orbe fuit."

DE EODEM.

E2_13 v.1 Pontificum decus et certissima gloria gentis,
 2 hoc Briconnetus conditus est tumulo,
 3 nec tamen ille parum aut nimium vixisse putatur :
 4 complevit vitae tempora justa suae.
 5 Dum vixit felix, felix dum mortuus ; ille
 6 vivere non potuit nobiliusve mori.

DE BATTO, ET FUSSIA.

E2_14 v.1 Sollicitans moechas urbis loca cuncta vagatur,
 2 plusque sua scortum conjuge Battus amat.
 3 Castae dum facit haec uxori, ferre molestum est,
 4 scortaque quod fido praeferat ille toro.
 5 Hunc revocare volens nullo perculsa pudore
 6 Fussia, nocte altos occupat illa gradus.
 7 Intransi Batto nudam se protulit, atque
 8 accensis taedis non reseranda aperit.
 9 Aspicit hoc Battus, conclamat : "Fussia, quare
 10 porrigis accensa membra tegenda face ?"
 11 Fussia subridens : "Causa est, ut cernere possis,
 12 nonne habeam, possit quod satis esse tibi ?"

EPITAP. THOMAE MORI.

E2_15 v.1 Hic situs est Morus vates tuus, Anglia, vates,
 2 turba poetarum quem cecidisse gemit.
 3 Dum Regum docte metuendos admonet enses,
 4 illum carnificis rex jubet ense mori.
 5 Illum Amor et Charites deflent, deflentque Camenae,
 6 nec damnum credit, qui sapit, esse leve.
 7 Gallia, quid posset, testisque Britannia, testis
 8 Italia, et semper Graecia testis erit.

ALIUD.

E2_16 v.1 Hoc tumulo truncus jacet et sine nomine corpus.

2 Nomen et evulsum crux docet alta caput.

AD JAC. COLINUM AMBROSIANUM ANTISTITEM.

E2_17 v.1 Auspiciis exire tuis quod Musa Macrini,
 2 et voluit clipeo vivere tecta tuo,
 3 miraris, Coline ? Boni fecere poetae,
 4 sed quo rarus adhuc tempore Momus erat.
 5 Pontifices hodie, reges, plebs, dives inopsque
 6 et pueri dentes, spicula, virus habent.
 7 Unde fit ut nullus sine vindice scribere versus
 8 audeat : injecto frangitur ansa metu.
 9 Victuris nullus regum dare nomina chartis,
 10 imparibus nullus pandere facta modis.
 11 Ni vim, ni rabiem, dentes linguasque vorarit,
 12 et nisi censuram, pertuleritque notas.
 13 Hunc igitur justa voluit ratione patronum,
 14 quo duce scripta negat carmina posse mori.

AD VERNULAM.

E2_18 v.1 Munera promittis, promittis basia moechis,
 2 cunnum promittis, vernula, saepe tuum.
 3 Plus dare quam possis promittis, vernula : partem
 4 et pater et mater virginitatis habent.

IN EAMDEM.

E2_19 v.1 Ultro das aliis nec das mihi saepe roganti ;
 2 sponte aliis quod das, non rogo, sponte dabis.

DE EADEM.

E2_20 v.1 Tam das quae tua sunt, quam quae tua, Vernula, non sunt.
 2 Sic fallis matrem, fallis et ipsa patrem.

AD CAUSSADUM.

E2_21 v.1 Natura an faceret bonos poetas,
 2 usu an assiduo suas Camenas
 3 ornarent lepidi et graves poetae,
 4 dicis, Caussede, saepe cogitasse.
 5 Quis jam, quis, rogo, nesciat poetas
 6 natura simul et labore nasci ?
 7 Si natura nequit, juvatur arte,
 8 ars tandem improbus et labor parabunt

9 quod natura tibi negat poetae.
 10 Ars vincit Charites novemque Musas.
 11 Plenum ars dulce sonans facit poema.
 12 Ars dat lautitias, jocos, lepores.
 13 Ars dat munditias sonosque dulces.
 14 Ars dat divitias opusque complet.
 15 Ars dat delicias modosque tornat.
 16 Naturam labor improbus politque,
 17 quae juncta efficiunt bonum poetam.

IN GARBIRIUM BIBACEM.

E2_22 v.1 Nocte vomit, quod luce bibit Garbirius, illi
 2 os culi atque oris porrigit officium.

IN EUMDEM.

E2_23 v.1 Quod bibit ore cacat subito, et qua parte Falernum
 2 ingerit in stomachum, hac egerit e stomacho.

AD DOLETUM.

E2_24 v.1 Nunc ubi, nunc ubi sunt Flacci Marcique, Marones ?
 2 Hos tibi nunc praestat Gallia sola viros.
 3 Nunc Maecenates ubi sunt, doctique patroni ?
 4 Hos tibi nunc praestat Gallia sola viros.
 5 Nunc ubi, nunc princeps doctos propensus in omnes ?
 6 Hunc tibi nunc praestat Gallia sola virum.
 7 Nunc ubi linguarum studiosis munera dantur ?
 8 Linguarum doctos Gallia dives alit.
 9 Nunc ubi gymnasium, schola nunc ubi, quaeso, trilinguis ?
 10 Gallia nunc habet hoc nobile Regis opus.
 11 Quid multis ? Nihil est illa jam doctius una,
 12 nulla magis doctos suspicit atque beat.
 13 Roma habuit quondam Augustos multosque poetas ;
 14 Augustos, vates Gallia sola fovet.

DE MORI POETAE ANGLI CAPITE.

E2_25 v.1 Hoc caput expositum ventis quod conspicis, eheu
 2 non vatis, vatium sed caput istud erat.

AD ALTAVILLANUM.

E2_26 v.1 Pacis amor, cultus superum, spes vera fidesque
 2 unica, felicis sunt monumenta viri.

IN BERISARDUM

E2_27 v.1 Quid clamas ? Quid saeve tonas ? Quid murmure tanto
 2 discipulos terres verberibusque teris ?
 3 Tune putas pueros ludi, Berisarde magister,
 4 doctos verberibus reddere posse tuis ?
 5 Invisum caput, imperium scelerate magister,
 6 nec pueri possunt murmura tanta pati.
 7 Istos quis ferret vultus habitusque magister ?
 8 Dextra lassares horrida monstra manu.
 9 Te schola nostra vocat durum, Berisarde, tyrannum.
 10 Te facit horridulum sordidulumque sonat.
 11 Nunc te si videat Fabius, "Quae tempora !" dicet,
 12 o mores ! Pueros sic, Berisarde, doces ?
 13 Disce docere, prius doceas quam, dure magister ;
 14 turpe est nil scire, et velle docere alios."

AD WITASSIUM.

E2_28 v.1 Difficilis res est hodie formare juventam,
 2 plus habet in se oneris quam tenet illa lucri.

AD REYNERIUM DE MINUTA UXOREM.

E2_29 v.1 Mille puellarum decies sunt, nomina mille,
 2 sed de tot placuit sola Minuta tibi.
 3 Sola Minuta suis oculos exussit ocellis,
 4 ignes diminuit sola Minuta tuos.
 5 Sola Minuta tuo junxit cum corpore corpus,
 6 cor cordi junxit sola Minuta tuo.
 7 Sola tibi castum casto sub pectore florem
 8 servavit, fructum virginitatis habes.
 9 Multi hanc causidici, multi optavere patroni,
 10 nequicquam, fuerat sola dicata tibi.
 11 Reyneri ex multis fuit haec tibi grata Minuta,
 12 visa simul, simul et sola cupita fuit.
 13 Tu contra ex multis longe es gratissimus illi,
 14 quae nullum prae te quem veneretur habet.

AD CLINIAM.

E2_30 v.1 Dissimulo, et nequeo nostrum celare dolorem,
 2 frons loquitur, quicquid dissimulare volo.
 3 Absentis cruciat Vulteium nomen amicae,
 4 dissimulare volem, dissimulare nequit.
 5 Discrucior, laceror, morior perimorque premorque,
 6 demere nec curas ulla medela potest.

7 Clinia, sola potes tantum lenire dolorem,
 8 conveniens morbo nam medicina meo es.
 9 Quod mergar, frangar, patiar doleamque gemamque,
 10 quod peream, causa es Clinia sola mihi.
 11 Vis tibi, vis fatear verum mea Clinia ? Nostri
 12 sola mali causa es, sola salutis eris.

AD FRANCISCUM

E2_31 v.1 Barbaries, Latii quicquid sermonis habebant,
 2 abstulerat Gallis rusticitate sua.
 3 Jussisti renovare artes et crescere linguas :
 4 te duce jus retinet lingua Latina suum.
 5 Ausonias, Graecas resonat gens Gallica voces,
 6 Hebraeasque tuo munere docta colit.
 7 Hoc miratur opus terrarum maximus orbis,
 8 et loquitur mores barbara terra tuos.
 9 Caesaris Augusti cecinit miracula Marcus,
 10 Augusto nobis Caesare major eris.
 11 Namque Minerva suos, te praeside, servat honores,
 12 exsultat Pytho nomine clara tuo.
 13 Barbaries contempta gemit, te principe, victus
 14 exsulat impostor monstraque cuncta jacent.
 15 Vive diu felix, Francisce, hoc nomine Regem
 16 quem primum nostro fata dedere bono.
 17 Vive iterum atque iterum felix, Francisce, Minerva
 18 ut vivas felix et moriari cupit.

AD PASCASIUM CLEMENTEM.

E2_32 v.1 Pacificus, Clemens quod sis, mihi non nova res est,
 2 has te virtutes nomen habere docet.

DE CLAUDIA.

E2_33 v.1 Claudia vult quemvis potius quam ferre maritum ;
 2 causa est, non cunnum vult sibi terga dari.

IDEM.

E2_34 v.1 Cur paediconem devitet Claudia, poscis ?
 2 Culum non cunnum nam rogitare solet.

IDEM.

E2_35 v.1 Mille mares mavult, proprium quam ferre maritum

2 Claudia, miraris ? Sordida causa facit.

DE MUSA SUA.

E2_36 v.1 Musa mihi dicit : "Satis est, requiesce poeta,
 2 haec eadem non est, surge poeta satis."
 3 Me pigrum lentumque vocat mea Musa poetam,
 4 me nimium queritur praecipitare modos.
 5 Haec me difficilem appellat facilemque poetam,
 6 haec eadem dulcem dicit et ipsa rudem.
 7 Me vocat obscurum, clarum facit inde poetam,
 8 haec eadem castum sordidulumque canit.
 9 Me laudat, quoties mihi vult mea Musa placere,
 10 me lacerat, non vult quando placere mihi.

AD ZOILUM.

E2_37 v.1 Quod scripsi, rides, epigrammata, zoile, pauca,
 2 pauca quidem scripsi, sed meliora tuis.
 3 Pauca licet, mala sunt mea carmina, zoile, dicis,
 4 haec mala sunt, fateor, sed meliora tuis.

DE MAROTO POETA.

E2_38 v.1 Donec erunt homines, donec probitasque fidesque,
 2 a patrio Clemens carmine notus erit.
 3 Exsulat hoc commune bonis, commune poetis
 4 exsulat ; at liber vivit in urbe liber.

EPITAPHIUM ARDUENNI.

E2_39 v.1 Quaeris defuncti morbum mortemque, viator ?
 2 Morbus erat scabies, mors scabiosa fuit.
 3 Sperne, precor, sordes hominis miserumque cadaver,
 4 ille sciens, prudens, qui jacet, interiit.

DE EODEM.

E2_40 v.1 Noluit, et potuit propriae indulgere salutis,
 2 ergo volens misere, cum periit, periit.

IN MAURUM DE DOLETO.

E2_41 v.1 Quid ruis in sacrum, stultissime Maure, poetam ?
 2 Proelia mordaci quid sine dente moves ?

3 Desine, stulte senex, convicia fundere, quaeso,
 4 desine sacrilega voce nocere viro.
 5 Singultus, tussim, ructus, mendacia, aduncum
 6 plus nasum vates, quam tua scripta timet.
 7 Ni cesses rabiem, Maure, exercere caninam,
 8 tandem mordaces experiere sonos.

IN CASPIUM, ET FLORAM.

E2_42 v.1 Caspius uxorem occidit, sed Flora maritum.
 2 Nunc Florae, o mores, Caspius ille vir est.

EPITAPHIUM SENIS IMPROBI, ET JUVENIS PROBI.

E2_43 v.1 Improbis hocque probus tumulo, juvenisque senexque,
 2 dissimiles annis moribus atque jacent.
 3 Namque senex vitiosus erat, juvenis probus. O mors
 4 dura nimis juveni, mors quoque tarda seni.

IDEM.

E2_44 v.1 Cum simul annosum impurum juvenemque pudicum
 2 occidis, puerum mors cito, sero senem.

IDEM.

E2_45 v.1 Debilis et fortis, juvenisque senexque recumbunt,
 2 improbitas, probitas hac tumultantur humo.

AD CLAUDIUM CHOMARDUM.

E2_46 v.1 Qui vetus es, Chomarde, mihi carusque sodalis,
 2 tu nova mense novo munera suscipias.
 3 Debeo plura tibi quam possim solvere : verum
 4 persolvam, si quid det dare posse Deus.
 5 Interea hos versus pro strena et munere sumes,
 6 quos cecinit plorans rustica Musa tibi.

IN GERMANICUM.

E2_47 v.1 Qui te causidicum faciunt, Germanice, debent
 2 te mercatorem dicere : semper emis.

IN ZOILUM PRO MACRINO.

E2_48 v.1 Zoile, quid dicis stultum insipidumque Macrinum ?
 2 Plus te (quod dubitat, zoile, nemo) sapit.
 3 Scribere scit docte, scit ludere carmina docte,
 4 scribere cum nil scis, posse quod ille, putas ?
 5 Tu invalidas vires, validos habet ille lacertos :
 6 zoile, da veniam, si tibi vera loquor.

AD GALL. REGEM.

E2_49 v.1 Ut sibi prostratos non conterit ira Leonis,
 2 sic populo miti parcere, Galle, soles.

DE TRIBUS PACI PUELLIS.

E2_50 v.1 Tres tribus adjunctae Charites, quas Pacus alebat,
 2 ex iis tot restant quot periere simul.

IDEM.

E2_51 v.1 Sex fuerant Charites, proles dum viva manebat
 2 Paci ; dum periit qui prior, est numerus.

AD JULIAM.

E2_52 v.1 Formosam multi clamant te, Julia, quare ?
 2 Munera das illis plurima, nulla petis.
 3 Desine dona dare et poscas tibi, Julia, munus,
 4 tu quovis fies iudice turpis anus.
 5 Aurum, non facies oculos perstringit amantum,
 6 ut facias gratis, Julia, nil facies.

AD BERTULUM.

E2_53 v.1 Pro numeris nummos quoties mihi, Bertule, posco,
 2 nil nisi pro numeris, Bertule, das numeros.
 3 Divitis officium pervertere, Bertule, noli,
 4 divitis est nummos reddere, non numeros.

AD CLINIAM.

E2_54 v.1 Corpus habes longum, collum, mea Clinia, crines,
 2 veste, oculis pulla et tota superciliis
 3 guttur habes niveum dentesque manusque puella,

4 cunctaque, queis placuit candida Maia Jovi.
5 Ergo puellarum bellissima, Clinia, jure es,
6 ornamenta tui corporis ista probant.

EPITAPHIUM PETRI ROSSETI, POETAE GALLI.

E2_55 v.1 Musa gemas geminasque genas vestesque nitentes
2 dilaceres, vatis mors jubet atra tui.
3 Qui Christum et Paulum celebravit carmine, caelum
4 cum Christo et Paulo sacraque regna colit.

AD GERARDUM RUFFUM, ANTIST. OLERONENS.

E2_56 v.1 Indoctum docto populum sermone gubernas,
2 atque ovibus pastor pabula laeta paras.
3 Mundanas largiris opes divinaque scripta,
4 quae tua non tua sunt, verum aliena facis.

IN PICEUM.

E2_57 v.1 Fur furiosus homo est Piceus, furatius illo,
2 et furiosum hodie nil magis esse potest.
3 Hermogenes mappas, nummos quoque Massa solebat
4 furari, at Piceus carpere cuncta solet.
5 Non mirum est, rapiat Piceus quod cuncta voretque,
6 nam piceas numquam continet ille manus.

IN EUMDEM.

E2_58 v.1 Ater homo est atrasque petit sine luce tenebras :
2 tam piceata est mens quam piceata manus.

IN ARITHMETICUM.

E2_59 v.1 Tam bene scis numeros docti numerare Platonis
2 quam male, quod debes, scis numerare mihi.
3 Saltem pro nummis numeros numerare doceto,
4 ut, si non nummos, fac numerem numeros.

AD GUIDONEM MARULLUM.

E2_60 v.1 Me tibi teque mihi ligat inviolabile foedus,
2 Marulle, et sanctae nexus amicitiae.
3 Tu colis, ipse colo quae convenientia nostris
4 moribus esse putas nec minus esse reor.

AD GILBUM.

E2_61 v.1 Causatur studium Gilbus spatiumque moramque,
 2 cum venit in nostram nocte dieque domum.
 3 Nulla mora est, dico, venias cito seroque, Gilbe,
 4 absens quam praesens tam mihi gratus eris.

IN ANUM.

E2_62 v.1 Praedia, tecta, domos, vestes villasque voravit,
 2 quod superest structis ignibus ussit anus.
 3 Ille protervus homo est, cui laeta protervia : verum
 4 stultior est qui scit nec fugit ipse malum.

IN SOPHISTAM, QUI SE SUSPENDIT.

E2_63 v.1 Qui nodos nodis solvebat in arte sophista,
 2 quem collo aptavit solvere non potuit.

AD CLINIAM.

E2_64 v.1 Ad mammas aditus facilisque ad basia, collum,
 2 brachia, crura, manus, tempora, labra, genas,
 3 amplexusque tuos facilis mihi janua. Quare
 4 clausa est ad cunnum, Clinia, porta tuum ?

AD EAMDEM.

E2_65 v.1 Cum vis difficilis, facilis, mea Clinia, cum vis ;
 2 cum volo te facilem, tu mihi difficilis.
 3 Exposco, ipsa negas, cum non peto, Clinia, tradis.
 4 Cum volo sis mitis, Clinia saeva mihi es.
 5 Rides, cum ploro, vigilas, cum dormio, faris,
 6 cum taceo, friges, cum tuus urit amor.
 7 Cum facis haec, simulo (dicis, mea Clinia) belle,
 8 namque est prudentis dissimulare loco.
 9 Sola es cum solo, te nunc, mea Clinia, amorem
 10 quid sine teste opus est dissimulare tuum ?

AD DOMINAM RENATAM, DUCIS FERRARIAE UXOREM, DE MAROTO.

E2_66 v.1 Gallorum vates Gallis fugiebat ab oris,
 2 immeritum misere pulsus in exilium,

3 anxius aufugiens patriamque Ducemque relinquens,
 4 per gelidas Alpes, per juga solus abit.
 5 Expulsum profugumque vocat tua gratia, et illum
 6 excipit et studiis officiisque juvat.

IN RUSTICUM.

E2_67 v.1 In patera, rogo, cur bibat hac aliisque ministret
 2 rusticus ? "Hac bibo, Rex namque cacavit", ait.
 3 Si tantum hoc pateram conservas nomine, cur non
 4 tam carum stercus, rustice, regis habes ?

AD FABIANUM.

E2_68 v.1 Ad cenam, Fabiane, vocas, venio ipse paratus,
 2 sed non cena tuae par, Fabiane, mea est.
 3 Sumis apros, lepores, turdos tenerasque palumbes,
 4 at mihi cum vetulo nil petasone datur.
 5 Convivam posthac me vis, Fabiane ? Cavebo,
 6 ni mihi det victum, det tibi mensa parem.

AD JACOBUM MINUTIUM, PRAESID. TOLOSAN.

E2_69 v.1 Sis licet oppressus tanto sub pondere rerum,
 2 ut minuat vires curia vestra tuas.
 3 Stet licet a te uno respublica tota, Minuti,
 4 atque Tolosa tuo pendeat arbitrio ;
 5 non dedigneris mea carmina volvere, forsan
 6 diminuent curas dulcia verba graves.

AD MAUMONTIUM.

E2_70 v.1 A docto indoctus quid distat, paupere dives,
 2 quaeris ? Honos datur huic, fert miser alter onus.

AD EUMDEM.

E2_71 v.1 Doctus ab indocto nunc differt, divite egenus :
 2 hic oneris, dives quicquid honoris habet.

AD PHILIPPUM BELLUM.

E2_72 v.1 Horrida nostrorum scelerum stipendia mors est :
 2 vita salusque hominum, gratia sola Dei.

DE BACCHO.

E2_73 v.1 Bacchus alit lites, lites dissolvit easdem,
 2 ad pacem Bacchus bellaque saeva trahit.
 3 Hic sepelit curas, animos conjungit, amicos
 4 disjungit, longo membra sopore levat.
 5 Ille aperit verum mundique arcana recludit,
 6 audaces timidos Bacchus et ipse facit.
 7 Suscitatur exsanguis, languentia corpora reddit,
 8 ardenti humanos vulnere saepe necat.
 9 Quid multis ? Summi sunt munera maxima Bacchi,
 10 armatos nudus sternere namque potest.

IN RUSTICUM.

E2_74 v.1 Miraris cyathum, servas, veneraris amasque,
 2 hocque putas clausum dulcius esse merum.
 3 Quaerenti causam respondes, rustice, "Rex hoc
 4 non dedignatus solvere ventris onus."
 5 Hac causa cyathum servas si, rustice, stercus
 6 ut comedas, ratio, Rustice, major erit.

AD HUGONEM SALLELIUM.

E2_75 v.1 Cum laudare volunt et commendare docendo
 2 leges, indocti haec dicere verba solent :
 3 "Haec, Domini, lex est tota aurea, splendida, nullam
 4 jus retinet pulchram difficilemque magis ;
 5 haec lex, haec, Domini, tota est de pane lucrando :
 6 haec tibi divitias deliciasque parat.
 7 Utilis haec multum, dat honores datque farinam,
 8 Aurum atque argentum, dat tibi prata, domos."
 9 O nimium stultos homines, o barbara dicta,
 10 quae sola leges utilitate probant.
 11 Non sic, Salleli, non sic pia jura docentur,
 12 longe aliis trahitur gens bene sana sonis.
 13 Hos perdat miseros misere tellusque dehiscat,
 14 quatenus has sordes, haec quoque monstra docent.

AD PORCIUM.

E2_76 v.1 Me appellas Pyladem, semper te dicis Orestem,
 2 nescio qua Pyladem condicione voces.
 3 Nam Pylades caro numquam non carus Oresti,
 4 sancta duobus erat parque in amore fides.

5 Nolle duobus idem velle et communia cuncta,
 6 sors eadem, atque eadem vita duobus erat.
 7 Nil commune mihi tecum est disparque voluntas,
 8 dissimilis sors est vitaeque dissimilis.
 9 Nostro in amore fides nulla est, constantia nulla,
 10 dispariles mores disparilisque domus.
 11 Vis tibi sim Porci Pylades velut alter Orestis ?
 12 Fac mihi des socio quod dabat ille suo.

DE ASPERITATE CLINIAE.

E2_77 v.1 Est coluber saevus, saevus lupus ipsaque saeva
 2 vipera, sic foetu est ursula saeva suo.
 3 Saevus aper, saevus leo, tigris saeva, leaena
 4 saeva quoque, et saeva est simia, saevus amor.
 5 Multa quidem vivunt animantia saeva ; sed istis
 6 omnibus una magis Clinia saeva mihi est.

IN QUADRAM.

E2_78 v.1 Quadra prius, Berdo natam quam credere vellet,
 2 mensuram voluit inguinis illa dari.
 3 At postquam experta est caudam testesque bilibres,
 4 "Ista satis binis mentula, dixit, erit."
 5 Dat partem natae, partem sibi Quadra relinquit :
 6 sic pascit cunnos unica cauda duos.
 7 Et Quadrae Berdus simul est gener atque maritus,
 8 uxorisque simul virque paterque suae.
 9 Pro pudor, o mores, o turpia facta duorum,
 10 o natae, o matris gaudia saeva nimis.

IN EAMDEM.

E2_79 v.1 Quod tibi, quod natae Berdus concedat adulter
 2 caudae usum, hoc dulce est, dicere Quadra soles.
 3 Nec scelus esse putas. Scelus est, mihi crede, nefandum,
 4 turpius hoc nullum crimine crimen habes.

AD NEULIUM.

E2_80 v.1 De servo quereris, quoties tua tecta subintro,
 2 semper ut exclames fortius, ansa tibi est.
 3 Non quod sit nimium saevus nimiumque gulosus,
 4 non quod sit nimium desidiosus homo,
 5 non quod sit nimium lentus nimiumque morosus,
 6 non quod sit nimium somniculosus homo,
 7 non quod sit mendax, fallax, fur, moechus, adulter,

8 non tibi, non quod sit perniciosus homo.
 9 Cur igitur clames, Neuli, jam sat scio causam,
 10 ipse facis, dicam quod facis ipse ? Taces.

BLANDITUR CLINIAE.

E2_81 v.1 Te sine jam morior, sine te, mea Clinia, nullus
 2 sum, sine te durum est vivere, dulce mori.
 3 Clinia, quaeso, veni, mea Clinia, totus aduror,
 4 ut stipula in flammis, Clinia, quaeso, veni.
 5 Nympha, veni, nymphis o pulchrior omnibus, albis
 6 mollior o cunctis Puniceisque rosis.
 7 Albior o niveis violis, fulgentior astris
 8 o rutilis, clara lucidiorque die.
 9 Carior o gemmis, fulvo quoque carior auro,
 10 clarior o placidis Clinia semper aquis.
 11 Huc adsis, venias, mea Clinia, Clinia, quaeso,
 12 cor cordi, et femori Clinia junge femur.
 13 Os ori atque oculos oculis, mea Clinia, necte,
 14 candidulasque genis, Clinia, junge genas.
 15 Dulcia conjungas, mea Clinia, labra labellis,
 16 omnibus et membris omnia membra, precor.

AD GEORGIUM ARME NIACUM, PONTIFI. RUTHENEN.

E2_82 v.1 O lux Pontificum rectorque paterque, Georgi,
 2 qui clarum ducis nomen ab Armeniis.
 3 Fama est te Venetam jamjam contendere ad urbem,
 4 atque tui praesul Regis obire vices.
 5 Ut tibi sit felix discessus, candide Praesul,
 6 ut reditus felix, numina sancta precor.
 7 Legatum absolvas felix Venetumque Senatum
 8 compone, ut felix munus obire queas.
 9 Audiatur et Francus te Rex hoc munus agentem
 10 non oneri esse aliis dedecorive tuis.

IN CONTEMPTOREM HUMANARUM LITTERARUM.

E2_83 v.1 Cum nequit et tentat dulces decerpere fructus,
 2 "Sunt nimium virides, non volo" stultus ait.
 3 Humanas artes si cui pernosse negatum,
 4 ut vanas ridens has sine fruge canit.

AD JOANNEM BELLAIUM, CARD. AMPLISS. INDUCITUR MAROTUS QUERENS DE EXILIO.

E2_84 v.1 Hei mihi, quam varios peperit fortuna dolores,
 2 quam levis in stabili vertitur illa gradu.

3 Ille ego, qui placido Franciscum carmine Regem
4 pascebam, insuetum cogor adire locum.
5 Nunc Dominum jubeor patriamque relinquere vates,
6 nunc jubeor vitae taedia dura pati.
7 In mentem veniunt carissima pignora Regis,
8 in mentem Domini gratia rara venit.
9 In mentem Lianora venit sanctissima conjux
10 Regis, et in mentem Margaris alma soror.
11 In mentem veniunt carique pique sodales,
12 in mentem, ah, quoties, Gallia tota, venis.
13 O nostro quoties animo, Francisce, recursas,
14 Gallia quot poenas sufficit una mihi.
15 Ante oculos quoties, quoties, doctissime Praesul,
16 perstas Bellai nocte dieque meos.
17 Ante oculos quoties Domini Dominaeque feruntur,
18 quos habet et nostri curia Regis alit.
19 Crede mihi, Musae et Charites placuere modique
20 atque aliquod nostrum nomen in orbe fuit.
21 Rex quoties dixit, relegens mea scripta, "Marotus
22 haec scripsit docta carmina docta manu."
23 Nunc nunc vela meae rapuit fortuna carinae,
24 pressaque nunc vario turbine Musa tacet.
25 Quo magis atque magis meditatur ludere Musa,
26 nil nisi prae lacrimis tristia verba canit.
27 Quo magis atque magis mitto de corde querelas,
28 hoc minus exaudit terra relictas preces.
29 O utinam Rex ipse meus Reginaque tandem,
30 afflictis cupiant reddere rebus opem.
31 Hoc ipsum ut faciant, causa est justissima, namque
32 nullius crucior conscius ipse mali.
33 Non facinus, non vita mihi, non turpia facta,
34 aurea libertas sed dedit exilium.
35 Exilium patior, patior sine crimine poenas ;
36 candida mens nostra est, candida nostra fides.
37 Quare ne vitio mihi sit, quod principis aulam
38 deservi, utfacerem, causa aliena fuit.
39 Sors inimica facit, miserum quod regia pellit
40 Francisci et lacerum me sinit esse diu.
41 Quod mala multa premunt animum non digna ferentem,
42 multaque quod profugus non patienda fero,
43 non vitium Musae, non libera lingua poetae,
44 sed fatale malum, quod fero, ferre jubet.
45 Quod sero, ferre jubet mihi gens inimica gravisque,
46 invidia est nostri maxima causa mali.
47 Et nisi, rex pater et princeps, fautorque fuisset,
48 justorum (ut video) durior ira foret.
49 Durior ira bonis, praesens sed gratia, semper
50 innocuos vultu commiserante fovet.
51 Nec passus justos praedam Rex hostibus esse,
52 nec sinit ut rapiat horrida flamma pios.
53 Serus et invitus, nolens velutique coactus

54 puniri sontes criminaque ipsa cupit.
 55 Et licet injustos Rex oderit, hunc scio numquam
 56 clementis faciem deposuisse viri.
 57 Nam paene extinctos desperataque salute
 58 semianimes, fortis sustinet ille manu.
 59 Hunc igitur mitem, Praesul mitissime, Regem
 60 ipse roga, ut servet restituatque reum.
 61 Insontem excuses absentem, candide, Regem
 62 fiat apud Gallum mentio si qua mei.
 63 Et facias, iterum atque iterum, magis ac magis, oro,
 64 si quid commerui, dedidicisse velit.
 65 Namque audire male est mihi res tristissima, Regis
 66 quod caream facie, durior aura mihi est.
 67 Quare age, Bellai, reditus sis causa Maroti,
 68 non potero tibi non deditus esse. Vale.

AD AULUM.

E2_85 v.1 Ne cenem tecum, iratum mihi te facis, Aule ;
 2 ira mihi tua plus quam tua cena placet.

AD FRANCISCUM REGEM, EXUL MAROTUS LOQUITUR.

E2_86 v.1 Si revocer videatque suum gens Gallica vatem,
 2 si patriae videam tecta superba meae,
 3 hoc tua curabit probitas, Rex optime regum,
 4 prosequeris summa qua pietate tuos.
 5 Sin me non revoces, jaceo, mitissime regum,
 6 atque tuum vatem terra aliena teget.
 7 Meque tuum dico, talem tua gratia fecit,
 8 dicor et a cunctis Galle poeta tuus.
 9 Ergo velis nolis Clemens tuus ipse poeta est,
 10 oblitum qui te non putat esse sui.

IDEM DE EXILII CAUSA.

E2_87 v.1 Candida libertas, verum virtusque fidesque,
 2 exilium patiens, quod peperere, fero.

EDICTUM DE BARBIS RADENDIS.

E2_88 v.1 Ite alio barbae, nunc tonsa est Gallia, cives
 2 barbatos Gallus Rex vetat esse suos.

DE EODEM.

E2_89 v.1 Temporibus priscis quae Gallia dicta comata est,
2 hoc recte dici tempore tonsa potest.

DE MORI POETAE CAPITE.

E2_90 v.1 Anglia saeva tuis Muis, praedura poetis,
2 dic, Mori, perdis quot capita in capite ?

AD JOAN. PIPPONIUM.

E2_91 v.1 Humanos mores humano in pectore nutris,
2 cor mundum in mundo corpore semper habes.
3 Hoc mihi persuadent, Pipponi candide, facta
4 dictaque cara deo, dat mihi signa fides.
5 Hoc loquitur tua mens, tua summa modestia monstrat,
6 argumentum ingens dat tua vita proba.
7 Imperio atque opibus Regum, niveisque lapillis,
8 quae bona sunt animi, nam potiora facis.

AD LAURENTIUM THESEUM.

E2_92 v.1 Tu mihi simplicibus, Laurenti, carus ab annis,
2 ingenua exiguus simplicitate puer.
3 Tu mihi maturis vir factus carior annis,
4 hoc probitas dextro in corpore clara facit.
5 Parvus eras docilis, crevit cum corpore virtus :
6 spem mihi tu dederas, spes bona victa fuit.
7 Assumpsit vires aetas animusque vigorem,
8 in te sic noster tempore crevit amor.

AD BARBARUM BARBATUM.

E2_93 v.1 Barbare, qui barbam tingis torquesque colisque,
2 hac sola doctum te ratione putans ?
3 Barbare, compositos jamjam depone capillos,
4 barbara barba miser nunc resecanda tibi est.
5 Est resecanda tibi, frustra hanc nutrire laboras,
6 Francisci edictum Gallia regis habet.
7 Deposita fies indoctus, Barbare, barba,
8 si te sola facit barbara barba sophum.

AD EUMDEM.

E2_94 v.1 Quid barbam nutris ? Pingis medicamine crines ?

2 Te faciunt mores, non tua barba, virum.
3 Imberbis fias, modo sit tua candida vita,
4 cordatus, fortis, vir studiosus eris.

DE QUODAM INDOCTE DOCTO.

E2_95 v.1 Indocte doctus dixit mihi, "Galle poeta,
2 sunt mea docta tuis castaque scripta magis."
3 Nescio. Si sciero, pergam tibi dicere : "Vates,
4 casta magis (fateor) doctaque Musa mea est."

AD FRANCISCUM GALL. REGEM, DE MAROTO.

E2_96 v.1 Noster abest Clemens, Rex clementissime Regum,
2 atque aberit, prompta ni revocetur ope.
3 Hic temere oppressus patitur sine labe : dolendum est,
4 Rex, falsi vatem criminis esse reum.
5 Clemens peccati vellet sibi conscius esse ;
6 ex merito facilis poena ferenda foret.
7 Cum nil peccavit, veniam petit ille, precantis
8 excuses culpam, si modo culpa fuit.
9 Exorat supplex tua numina Galle, poetae
10 assiduis precibus permovere tui.
11 Da veniam vati, superet tua gratia culpam,
12 de culpa fateor, Rex, licet ille neget.
13 Te penes est vatis vitaeque necisque potestas,
14 te penes est vitam reddere, redde, precor.
15 Jam dolet absentem tua regia Galle Marotum,
16 et, si vis verum dicere, Galle doles.
17 Ingemit et tacito suspirat Gallia luctu,
18 inque suo expulsum vellet habere sinu.
19 Non tibi verba damus, testis mihi Gallia, testis
20 quae causam fletus dissimulare nequit.
21 Aequo animo exilium ferret, tormenta rotasque,
22 si sciret vultu posse carere tuo.
23 Hic te non fugiens regnum patriamque reliquit,
24 sors mala, non famulum jussit abire scelus.
25 Si quaeras quid agat, qui sit tuus ille poeta,
26 Ferrariae languens nil nisi triste canit.
27 Conjugis alma soror licet hunc, Francisce, gubernet,
28 vincuntur multis gaudia cuncta malis.
29 Qui quondam patriis ludebat carmina rythmis,
30 neglectus Musas negligit atque sonos.
31 Plectra tacent lacrimis, desunt in carmine vires,
32 quaeque canora fuit, muta dolore lyra est.
33 Te rogo per tibi quae placuere poemata vatis,
34 hunc patriae, huic patriam reddere velle velis.

AD LAURENTIUM THESEUM.

E2_97 v.1 Pirithoum ut Theseus fido dilexit amore,
 2 ad latus alterius haesit ut alter amans :
 3 Thesea Vulteius carum sic servat amicum,
 4 major et inter nos nodus amoris inest.
 5 Nam Lethaea duos quae jungunt cincula tollas ;
 6 funiculus nullus, nulla in amore fides.
 7 Sed qui nos jungit nulla violabilis arte
 8 Christus, quo noster sub duce fidus amor.

DE CLINIA.

E2_98 v.1 Clinia, me aspiciens, "Placeo tibi, sat scio", dixit.
 2 Respondi : "Verum est, Clinia, sola places.
 3 Sed mihi cum placeas, placeam tibi Clinia : dixi,
 4 "ignes exstinguet sic tua flamma meos."

DE EADEM.

E2_99 v.1 Clinia nec pretio, precibus nec flectitur ullis,
 2 nec capitur donis, dona nec illa capit.

AD JOAN. PICUM PARISIEN.

E2_100 v.1 Picus Joannes Mirandula mortuus, orbis
 2 cui numquam tenuit nobilitate parem.
 3 Sed nos in tanta id recreat jam clade, quod illum
 4 aetate, ingenio, nomine et arte refers.
 5 Quae fuit in Pico virtus, sapientia, gentis
 6 nobilitas, verae religionis amor,
 7 haec eadem praestas nobis cum fenore ; namque
 8 major es eloquio, nec pietate minor.

AD CAELIAM.

E2_101 v.1 Qui caneret lusus, formam, qui lumina, risus,
 2 ardentem lacrimas, vulnera, signa, faces,
 3 picturam, mores, umbram, suspiria, fletus,
 4 furta, animum, crines, quos struis arte dolos.
 5 Balnea, candidulos flores flammisque, soporem,
 6 basia, sermones, munera, quicquid agis.
 7 Caelia caelestem qui te fecere puellam,
 8 vatibus ex multis unus, et alter erat.
 9 Angeriane, tuae testantur carmina Musae,
 10 et Strozae docta filius arte probat.

DE ANNULO, QUO DONATUS EST A PHILANDRO.

E2_102 v.1 Annulus artis opus mirae donumque Philandri
 2 nomine non uno carus habendus erit.
 3 Primum aurum est carum, carus mihi deinde hyacinthus,
 4 adde quod artificis sit mihi cara manus.
 5 Est aliquid tandem meruit quo carior esse,
 6 scilicet hunc carum dat quod amica manus.
 7 Ille igitur digito numquam tolletur ab illo,
 8 quem justo primum circuit orbe nitens.

AD CLINIAM.

E2_103 v.1 Est amor ipse mihi dulcis nec amaror et error,
 2 est mihi sed casto dulce in amore mori.

AD SEBASTIANUM SCORBIACUM.

E2_104 v.1 Qualis sis quantusque mihi vix dicere possum,
 2 ipsa nec assiduo carmine Musa potest.
 3 Quo studio, o studiose, bonos, qua mente peritos,
 4 quo studio doctos, res docet ipsa, colas.
 5 Humanas artes divinis legibus ornas,
 6 quodque facis, paucis hoc fuit ante datum.
 7 Herculis illustrant pulcherrima facta poetae,
 8 quod nuda vicit monstra cruenta manu.
 9 Quo magis ipse venis celebrandus carmine, pellas,
 10 monstraque quod superes perniciose magis ?
 11 Nam tu divinae non despicias arma Minervae,
 12 cum tibi barbaries barbara bella parat.
 13 Quod rectum sequeris, declinas turpia, suades
 14 optima, praetereo : res patet ipsa satis.
 15 Quam juvenes docto moderari examine noscas.
 16 Quantum in te pensi vel rationis habes,
 17 ut taceam, loquitur per se tua candida virtus,
 18 testis erit locuples clara Tolosa tibi.

DE SEBASTIANO GRYPHIO.

E2_105 v.1 Inter eos formis libros qui cudere noscunt,
 2 Gryphius a summo est proximus artifice.

AD CLINIAM.

E2_106 v.1 Femina prostituit sese, quae munera donat,
 2 femina se vendit, quae data dona capit.

3 Munere nec vincas nec vinci, Clinia, poscas,
4 moribus his fies casta puella mihi.

DE REGE, ET TYRANNO.

E2_107 v.1 Mitis ab immiti hoc distat Rex ipse Tyranno,
2 Rex cives, servos quos regit alter habet.

AD CLINIAM.

E2_108 v.1 Ut tecum jaceam ridens, mea Clinia, posco :
2 "Nil magis ipsa cupis, nil minus ipse volo."
3 Nam fractus studio Musarum inducor, ut illa
4 sim procul a Venere et nil minus ipse petam.
5 Cur Venerem asperner, vicit quae Pallada, quaeris ?
6 Pallas quo victa est iudice, caecus erat.

TESTAMENTUM JACOBI FABRI STAPULENSIS.

E2_109 v.1 Corpus humo mentemque deo, bona cuncta relinquo
2 pauperibus, Faber haec, cum moreretur, ait.

EJUSDEM EPITAPHIUM.

E2_110 v.1 Hic veneranda tegit Fabrii lapis ossa sepulti,
2 quae senio tandem sunt resoluta gravi.
3 Primus et extremus vivum quem noverat orbis,
4 egregium dolet hunc, hunc periisse Fabrum.
5 Profuit una quidem defuncti industria cunctis :
6 non falsi, veri sed fabricator erat.
7 Hoc decus, hoc terris concessit Gallia, mors hoc
8 abstulit, ad Christum mens pia fecit iter.

ALIUD.

E2_111 v.1 Impia fata pium Fabrum rapuere, dolendum est ;
2 namque Faber fabros qui superabat erat.

ALIUD.

E2_112 v.1 Immortale mihi, qui nunc mortalis habebam,
2 cum vita nomen posteriore datum est.
3 Vita prior mortem exspectabat, vita secunda
4 occasus nullos fataque nulla timet.

5 Gratior ergo fuit mihi mors meliorque priore
6 vita quae ut vivam jam sine morte facit.

AD JO. TERTERONUM.

E2_113 v.1 Qui novus et nuper factus mihi carus amicus,
2 quae veteres, praestans, incipis esse vetus.
3 Officium studiumque tuum mirorque proboque,
4 quod tibi cuncta, mihi quae placuere, placent.
5 O me felicem, talem quod nactus amicum
6 sum, qualem nullis sors dare justa potest.

AD MAECENATEM.

E2_114 v.1 Paenituit numquam me suscepisse nepotem
2 formandum, summo dignus amore fuit.
3 Nec te, Maecenas, mihi commisisse puellum
4 paeniteat, qualem vis, cito talis erit.
5 Praeditus ingenio est et praeditus indole rara ;
6 si pergat, parvo tempore doctus erit.

AD CLINIAM.

E2_115 v.1 Absens absentem torques quid, Clinia, amicum ?
2 Si me vis vivum cara videre, veni.
3 Quid tibi rura placent ? Urbis quid commoda temnis ?
4 Clinia cara, precor, Clinia cara, veni.
5 Cuncta odiosa mihi sine te, mea Clinia : quare,
6 si me vis vivum cara videre, veni.
7 Jam quoniam dulci procul exstas, Clinia, ab urbe,
8 ingrata ingratum hac vivere in urbe mihi est.
9 Si venias dulcem subito, mea Clinia, in urbem,
10 gratum erit hac grata vivere in urbe mihi.

AD LUDOVICUM REGIUM.

E2_116 v.1 Regia cum tibi sit virtus, mens regia, regis
2 cognomen, regum nomen et ipse geras.
3 Regia sitque fides, sit regia deinde voluntas,
4 regia sit probitas, regia lingua tibi,
5 omnia regis habes, mentem linguamque fidemque,
6 cognomen, mores : Regius ergo vir es.

DE CORTIO, ET SERVO ANNOSO.

E2_117 v.1 Cortius hoc servo dixit : "Fer pondera." Servus
 2 sudans et sitiens talia dixit hero :
 3 "Vix ego longaevam possum gestare senectam,
 4 annos, sudorem : sat mihi ferre sitim."

DE AUDITORUM JURIS CAEDE APUD THOLOSAM, AD SENATUM TOLOSANUM.

E2_118 v.1 Unde fit ut laceros vultus sparsosque capillos
 2 discipuli legum nunc sine lege ferant ?
 3 Unde fit immerito ut maculatos sanguine natos
 4 Mercurii, invertat Martis iniqua manus ?
 5 Unde sit insolito rumpantur jura furore ?
 6 Atque scholam justus contegit unde cruor ?
 7 Unde fit ? O mores ! Tranquillae munera pacis
 8 dum sequimur, nostro sanguine terra tumet.
 9 Armati imbelles juvenesque senesque trucidant,
 10 corrumpunt sacram contemerantque domum.
 11 Terrentur nulla virtutis imagine sontes,
 12 qui nos in laqueum praecipitare parant.
 13 Corpora nuda premit nimio gens perdita luxu,
 14 dilacerat diris membra cruenta modis.
 15 Perforat et ferro, jaculis, mucrone, sagittis,
 16 vulneraque in nostro pectore fixa patent.
 17 Usque adeo est audax gens haec furibunda, malorum
 18 inventrix, proprium ut conterat ense genus.
 19 Aggreditur fratrem frater, natum pater ; eheu
 20 tam clarum agnoscis nonne Tolosa scelus ?
 21 In tua convertis malesanum viscera ferrum ?
 22 Qui tibi dant vitam, sic periisse cupis ?
 23 Unde fuit speranda salus, tutissima vitae
 24 anchora, inauditum prodiit inde malum.
 25 Nulla prius tantum viderunt saecula crimen,
 26 urbs sua foedavit sanguine tela suo.
 27 Pro fati invidiam, pro tempora prisca, maligni
 28 nonne impune malum, quod peperere, ferent ?
 29 Nemo umquam tantum facinus conspexit in urbe,
 30 tale umquam vidit nulla Tolosa malum.
 31 Impune ergo licet legum violare patronos ?
 32 Forti animo durum est vulnera tanta pati.
 33 Occidimus miseri miseranda clade, parentes
 34 in nostrum vertunt tela nociva latus.
 35 Nil hominum nobisque fidem implorasse deorum
 36 profuit, optatam vult dare nullus opem.
 37 Nunc saevos inter luctus lacrimasque relictis
 38 ultores tanti cogimur esse mali.
 39 Curia ni nostrum tandem ulciscatur honorem,
 40 quod numquam coeptum perficietur opus.
 41 Longaque posteritas post funera nostra nocentes

42 cognoscet tanti criminis esse reos.
 43 Vindictae memores nati fientque nepotes,
 44 curia ni nostrum sublevet alma malum.
 45 Commissi vivet furiosus criminis auctor,
 46 ut qui combussit templa verenda Deae.
 47 Clamabunt pueri, quis talia facta putavit,
 48 et potuisse patres et voluisse simul ?
 49 Haec si non moveant animos sensusque latentes,
 50 te saltem moveant res tua honosque tuus.
 51 Te saltem moveat legum veneranda potestas,
 52 et cives flectant Palladis arma tuos.
 53 Nos, precor, excipias humano curia vultu,
 54 ni faveas, actum est, ecce Tolosa ruit.
 55 Alea jacta diu est, vox haec (mihi crede) verenda,
 56 ni faveas jamjam, tota Tolosa perit.
 57 Tu nitidos igitur converte parumper ocellos,
 58 curia sis nostri maxima cura mali.
 59 Tu precibus nostris, rebus praesensque faveto,
 60 nam miseris semper consuluisse pium est.
 61 Ne lacrimas, gemitus, mortes, fletusque precesque
 62 contemne, aut quicquid sentiet ira, vomet.
 63 Te juris moveat, moveat studiosa juvenus,
 64 auxilium supplex consiliumque petit.

AD LUDOVICUM REGIUM.

E2_119 v.1 Dum reget hos artus vitalis spiritus et dum
 2 composita vivens mente superstes ero,
 3 dumdabitur meminisse mei, dum membra movere,
 4 dum poterit solitos Musa sonare modos,
 5 viventi vives Vulteio carus amico,
 6 non erit obscurus, sed tibi notus amor.

AD CLINIAM.

E2_120 v.1 Sola jaces ; jaceo solus quoque, Clinia. Quare ?
 2 Tu mihi das causam, Clinia, doque tibi.
 3 Me tibi, teque mihi jungant si numina, tecum
 4 complebo vitae tempora laeta meae.

AD STEPHANUM DOLETUM.

E2_121 v.1 Non solum ut placeam studeo tibi, care Dolete,
 2 sed quibus ipse places dulce placere mihi est.

DE HORATIO FLACCO.

E2_122 v.1 Proelia, seu mensas, pacem, seu cantat amores,
 2 sive puellarum dulcia furta canit,
 3 sive Lycambeo lacerat pede fervidus hostes,
 4 seu modulis mores impetit ille malos,
 5 palmam inter lyricos Flaccus sibi vendicat omnes,
 6 semper et excelsum debet habere locum.

AD JOANNEM PINUM, EPISCOPUM RIVENSEM.

E2_123 v.1 Si quem doctrina, ingenio, virtute decorum
 2 conspicio, hunc virtus cogit amare virum.
 3 Ergo jubet virtus te semper amare disertum,
 4 o pater, o saeculi gloria, Pine, tui.
 5 Namque opifer vatum numquam non esse putaris,
 6 altrix Musarum sic tua nota domus.
 7 Ostendunt benefacta tuum pater optime pectus,
 8 argumenta animi dant manifesta pii.
 9 Divitias taceo, taceo quod Episcopus ipse es,
 10 praetereo culti quod pater eloquii.
 11 Clarorum taceo primordia clara parentum
 12 et generis summi munia summa tui
 13 antiquasque domos exesa et stemmata patrum,
 14 nam tibi nil veteres esse putantur opes.
 15 Corporis et dotes, fortunae et munera linquo,
 16 Regis omitto tui teque tulisse vices.
 17 Linquo quae faciunt, ut ameris ab omnibus, et quae
 18 ad studii promptum te genus omne trahunt.
 19 Nec volo, nec possum partae praeconia laudis
 20 dicere, praescribas ut mihi, Phoebe, modos.
 21 Externis numquam moveor, virtute probamur
 22 sola, de vero primaque cura bono est.
 23 Qui sis, qui fueris, cunctis res nota ; futurus
 24 qualis sis, felix vita peracta docet.
 25 Sat tibi, sat mihi sit, Praesul sanctissime, quod te
 26 Rex tuus et tua gens, grex tuus ipse probat.

AD FRANCISCUM, REGEM GALLIAE.

E2_124 v.1 Forma, divitiis, Reges, Rex maxime, vincis,
 2 atque animi cunctis major es ipse bonis.
 3 Victor es inde tui, tua te clementia vinci ;
 4 et qui te vincat, tu nisi, nullus erit.

DE COTTA.

E2_125 v.1 Vis fieri dives, dixit mihi, Cotta, poeta ?

2 Vende patris, matris praedia vende tuae.

IN ASPROMONTANUM.

E2_126 v.1 Cur tibi non satis est quod sis mihi notus adulter ?
 2 Cur clarum lippis, quod facis, esse cupis ?
 3 Hocne tibi pulchrum est dici moechum atque videri ?
 4 Cum facis haec, jungis crimina criminibus.

AD DORTIUM.

E2_127 v.1 Dicta simul, simul ipsa fuit tibi pacta puella,
 2 parque pari juncta est Julia casta viro.
 3 Debita conservat promissaque jura marito,
 4 debitus et conjux, quae cupit illa cupis.

AD JOANNEM VIERUM.

E2_128 v.1 In toto monachis nihil est odiosius orbe,
 2 in toto monachis sanctius orbe nihil.
 3 Garrulus est monachus, mendax audaxque loquaxque,
 4 qui vivens vitam desidiosus agit.
 5 Est monachus verax, simplex prudensque probusque,
 6 quem verus tangit relligionis amor.

IN BALBULUM.

E2_129 v.1 Cum tu propinas, dicis te, Balbule, Graecum ;
 2 cum paedicaris, dic mihi, qualis homo es ?

DE MARITO, CUJUS MOECHA ERAT CONJUX.

E2_130 v.1 Cum moecha sensit moechum dormire maritus,
 2 extemplo uxori construit ille dolos.
 3 Nocte semel media repetens sua limina, moechum
 4 cum moecha in tepido conspicit esse toro.
 5 Distringit gladium, moechae duo brachia scindit,
 6 atque duos moechi dissecat ense pedes.
 7 Non sic debuerat facinus punire nefandum :
 8 pars, qua peccatum est, haec resecanda fuit.

AD MAECENATEM.

E2_131 v.1 Si numeres centum, Maecenas optime, soles,
 2 pro centum accipies innumeros numeros.

AD JOANNEM REGNESSONUM SIGNIACUM.

E2_132 v.1 Artifices ferrum docte qui cudere possunt,
 2 te regem esse uno saepius ore canunt.
 3 Aetate, arte parem nullam tibi Gallia vidit,
 4 nec melius ferrum, qui dare possit, erit.
 5 Accingas ad opus famulos moderamine honesto,
 6 ille suas partes sustinet, ille suas.
 7 Lignator, fossor, fusor fabrique ministri
 8 atra tuo jussu membra labore terunt.
 9 Teque jubente, alius carbones construit, ille
 10 ligna secat, sicco credit et illa solo.
 11 Hic ferrum emendat, facit ille plicatile, sunt qui
 12 perdocte extendunt, extenuant, poliunt.
 13 Te rectore, suo pergit ferraria ductu,
 14 atque tuum semper, te duce, fervet opus.
 15 Quodque senex facis, hoc juvenes praestare nequirent,
 16 nam longa officium perficis arte tuum.
 17 Atque tuos summa servos cum pace gubernas,
 18 vox tua defessos semianimesque levat.
 19 Aequa ex officio perpensas omnia lance,
 20 certa laboranti praemia deinde paras.
 21 Denique tam recto componis singula sensu,
 22 materia numquam deficiente tibi.
 23 Ut qui pertractant fabrilia dicere possint :
 24 "Tu dux, rex, princeps, artificumque pater."

AD AEMILIUM PEROTTUM.

E2_133 v.1 Non quod sis pulcher, nupsit tibi Grona, Perotte,
 2 nec quod sit donis capta puella tuis ;
 3 sed quod perdoctus legum consultus haberis,
 4 legitimas artes teque docere sciat.
 5 Cum legum solo nupsit tibi nomine Grona,
 6 legitimo possis dicere jure tuam.

AD JOANNEM BOQUETIUM.

E2_134 v.1 Non te dona mihi nec me tibi munera jungunt,
 2 longe aliis tamen es carior ipse mihi.
 3 Noli admirari, facit hoc tua vita, Boqueti,
 4 quae (quod sit Christo tota dicata) placet.

IN INVIDIUM.

E2_135 v.1 Exornant tituli mea carmina, livide, dicis

2 doctorum, hoc tibi jam, livide, cedo quid est ?
 3 Estne aliud tibi quo videar non posse placere ?
 4 Dic, peto, dic, patior, dic, precor atque volo.
 5 Obtundunt doctos mea livide carmina. Falsum est.
 6 Grata magis doctis sunt mea scripta tuis.

AD BRITANNUM.

E2_136 v.1 Nos primum socios perdocta Lutetia junxit,
 2 Burdigalae excrevit foedus amicitiae,
 3 posthac victurum semper firmavit amorem
 4 facta opibus nuper docta Tolosa tuis.

AD GUYD. MARULLUM.

E2_137 v.1 A me, vix uno quod scribam mense, Marulle,
 2 desidiae causum pigritiaeque petis.
 3 A te vix uno veniat quod epistola lustrō,
 4 justius ut possim, non tamen ipse queror.
 5 Vis mihi pigra quies placeat tua lenta manusque ?
 6 Ut tibi vis parcam, parcere disce mihi.

AD CHOMARDUM.

E2_138 v.1 Carus eras nobis multum puerilibus annis,
 2 in juvenilibus es carior ipse mihi.
 3 Vir factus tandem, tandem carissimus, atque,
 4 te crescente, meus crescere perguit amor.

AD BOQUETIUM.

E2_139 v.1 Lubrica te nullo potuit sors vincere motu,
 2 sive adversa tibi, sive secunda fuit.
 3 Fortunamque tuam, quaecumque erat illa, Boqueti,
 4 dixisti a summo rite venire Deo.
 5 O dignam sancto missum de pectore vocem,
 6 quae facit ut tua mens sit manifesta magis.
 7 Non pectus mutet levis inconstantia Christus
 8 nec possit nimia de levitate queri.
 9 Haud ulli mentem valeant avertere casus,
 10 ullaque nec possint flectere supplicia.
 11 Nec pudeat sanctis semper persistere coeptis
 12 nullaque tam tutum causa moretur iter.
 13 Sic tandem fies Christo carissimus uni,
 14 qui vita vitam prosperiore beat.

AD PAULUM.

E2_140 v.1 Illis, Paule, nihil quibus negabas
 2 tunc, cum pauper eras egens lacerque,
 3 sortis munere nunc beatus, ipse
 4 nil non, Paule, negas rogantibus te.

AD GEORG. ARMAIGNACUM, PONT. RUTHEN.

E2_141 v.1 Ergo meum mihi jam praesul perdocte Philandrum
 2 eripis, ad Venetos dum meditaris iter ?
 3 Dum facis hoc, peccas non uno nomine tantum,
 4 hunc sibi meque mihi, pro dolor, ipse rapis.
 5 Ille in me vivit, certum est me vivere in illo,
 6 ut rapias corpus, mens tamen ipsa manet.
 7 Quaeque duobus erat communis vita, manebit
 8 in solo, illius nec nisi corpus habes.
 9 Quare age vis totum, pater, o retinere Philandrum ?
 10 Aut neutrum eripias, aut rapias geminos.

AD CHOMARDUM.

E2_142 v.1 Nemo fuit prima sic inflammatus amica,
 2 quanto Vulteius captus amore tui est.

AD TURPINUM BELLOVACUM.

E2_143 v.1 Tradere qui medicam possit feliciter artem,
 2 Turpine, ex multis tu mihi primus eris.
 3 Sermone es promptus Latio, Graeca que disertus
 4 lingua, quae multis dat tibi cuncta labor.
 5 Quod loquor, hoc tua jam testantur tempora ; quare,
 6 ne dare me puris auribus ista putes.

AD DAURONUM.

E2_144 v.1 Mala duo nobis, Daurone, Cydonia donas,
 2 malaque quae nostro sunt medicina malo.
 3 Ad tantum facta est ficorum accessio munus,
 4 quas peperit vobis Massiliensis ager.
 5 Ex vitro cretae his adjuncta lagoena marinae,
 6 auctaque sunt multis munera muneribus.
 7 Ast ego pro tanto quid reddam munere ? Pectus
 8 hoc tantum possum reddere, parce, precor.

AD MAXIMUM.

E2_145 v.1 In febrim nuper quartanam, Maxime, lapsus
 2 vim morbi a medicis pharmaca laeta peto.
 3 Ex pulsu certam mihi promisere salutem,
 4 verum ex quartana torqueor assidua.
 5 Nunc solus morbum pellet de corpore Christus,
 6 in cuius nostra est vitaque morsque manu.

DE FUGA SATELLITUM, ET FURUM A TOLOSA.

E2_146 v.1 Qui fuerant fures nocturni quique diurni,
 2 sorte Tolosa magis quam ratione fugat.
 3 Sed, cum dimissos permittit abire nocentes,
 4 ipsa facit miseris ad mala plura gradum.
 5 Qui fures fuerant, summos facit esse latrones,
 6 datque locum multis materiamque malis.
 7 Negligit insontes praedura noverca puellos,
 8 at firma sontes protegit illa manu.
 9 Cur facit haec, quaeris ? Mirari desine, causa est,
 10 plus favet : ah nequeo talia monstra loqui.

DE CAEDE AUDITORUM JURIS APUD TOLOSAM.

E2_147 v.1 Pro pudor, o facinus, clamabat Roma, Tyrannis
 2 oppressa et duris obruta temporibus,
 3 cum Catilina scelus strueret, cum Sylla ruinam
 4 templa bonae tunc cum sunt vitiata Deae,
 5 cumque pater patriae Cicero caput obtulit hosti,
 6 cum generum laesus pellit ad arma socer.
 7 Cur non, o mores, cur non, o tempora, clamas,
 8 sanguine quae nuper tincta Tolosa tuo es ?
 9 Cur mores sordent, sordent tibi tempora ? Non est
 10 temporibus probitas moribus apta tuis.

IN OSSAM.

E2_148 v.1 Os tibi tam impurum est, vestis tam sordida, nares
 2 tam foedae ut prae te jam bene stercus olet.

DE STELLA ET AMANTE.

E2_149 v.1 Formosus pulchrae dicebat amicus amicae :
 2 "Cum volo, cur non vis, quod peto, Stella, dare ?"
 3 Stella ait : "Insanis, votis tua vota repugnant :
 4 nulla conjungi, quae petis, arte queunt.

5 Me vis formosam, formosum teque videri,
 6 cumque tua pereat ut mea forma, petis."
 7 "Ista simul fieri doceas si posse, negabo
 8 nil tibi, sed placide quod petis ipse dabo."

AD CLINIAM.

E2_150 v.1 Ut faciam versus de te, mea Clinia, poscis,
 2 immortale tuum nomen ut esse queat.
 3 Immortale bonum immortalis det tibi virtus ;
 4 nam mea Musa nequit quod cupis ipsa dare.

DE REGNO FRANCISCI VALESII.

E2_151 v.1 Tot nova Francisci discrimina tempore rerum,
 2 quot longa scripsit Livius historia.

DE EODEM.

E2_152 v.1 Pax, bellum, atque iterum pax, posthaec horrida bella,
 2 pax rursus Franco sub duce visa fuit.

IN SATELLITES TOLOSANOS.

E2_153 v.1 Cur dispar certamen inis, gens improba ? Justos
 2 cur laceras verbis verberibusque necas ?
 3 Corporibus nudis armatum opponere pectus,
 4 nec puduit sanctum dilaniare gregem ?
 5 Cur, scelus, expleri nostro cur sanguine gaudes ?
 6 Cur tua districto fulminat ense manus ?
 7 Cur veneranda scholae legum penetralia foedas ?
 8 Cur via vi in sacram et facta fenestra domum ?
 9 Quid, quaeso, objicies ? Quaenam tibi causa furoris ?
 10 Justa fuit subiti num data causa mali ?
 11 At mihi sic jussum est, respondet turba, potentes
 12 in nostro fas est vertere facta duces.
 13 Saepe diu vox me dubitantem hortata magistri,
 14 inque tuum jussit mittere tela caput.
 15 Summa voce vocat famulos, voce excitor illa,
 16 exsequor et prompta, quod jubet ille, manu.
 17 Haec tua promeruit summam victoria laudem,
 18 seu per te fuerit, seu Duce parta tuo.
 19 Dux pro qua et famuli talem meruere triumphum,
 20 dux flammam, famuli commeruere crucem.

IN MERINUM.

E2_154 v.1 Una scripturum te dicis carmina mille
 2 Hora, vix unum mille diebus habes.
 3 Promittis, satis est, nimium praestare, Merine :
 4 pro versu mille est verba dedisse satis.

IN DELMANTICUM.

E2_155 v.1 Cum jugulas natos, violas, Delmantice, natas,
 2 hoc mihi fas, dicis, quid scelus esse putas ?
 3 Cum ferro fratres matremque patremque veneno
 4 fas violare putas, quid scelus esse putas ?
 5 Hoc si non scelus est, scelus est, Delmantice, nullum
 6 hoc tibi fas credis, quod puto grande nefas.

AD GILIAM.

E2_156 v.1 Tam tibi dissimilis puer est tuus, optima mater,
 2 candida quam virtus dissimilis vitio.

IN AULUM.

E2_157 v.1 Optima cum tibi sit mater, pater optimus, Aule,
 2 cur nec scis, nec vis, nec bonus esse potes ?

DE STELLA PUELLA.

E2_158 v.1 Sint licet in digitis gemmae quas India mittit,
 2 clarior es gemmis lucida Stella tuis.
 3 Hoc fulvi crines faciunt, hoc candida forma,
 4 hoc faciunt mores, Stella pudica, tui.

AD MARSONAM CAECAM.

E2_159 v.1 Cum tu formosum puerum, Marsona, requiris,
 2 tam bene caeca cupis quam male caeca vides.

AD ROLAND. COLARTUM.

E2_160 v.1 Quem, cujus qualemque librum vis volvere ? Mittam
 2 quem, cujus, qualem, docte Rolande, voles.

EPITAPH. FAUSTI POETAE.

E2_161 v.1 Mors faustum rapuit Gallis faustissima vatem,
2 quem jussit faustas protinus ire vias.

AD MARCUM.

E2_162 v.1 Praedia quid jactas toties mihi, Marce, dedisse ?
2 Praedia consumant prandia bina tua.

AD NIC. JANNARDUM.

E2_163 v.1 Tot, Jannarde, mihi tribuit tua Musa lepores,
2 ut faciat summis vatibus esse parem.
3 Non ego sum talis qualem tua carmina pingunt :
4 o utinam in minimis det mihi Musa locum.
5 His me aliquid studiis (verum, Jannarde, fatebor)
6 impendisse operae res manifesta tibi est.
7 Dilexi C harites, dilexi carmina, clarum est
8 me quoque Pierium semper amasse chorum.
9 Sed tamen haec propter merui non carmine nomen
10 immortale, nimis rustica Musa mea est.
11 Certa poetarum vestigia posse referre
12 non aequis mihi sat passibus esse puto.

AD HENR. FRATREM.

E2_164 v.1 Qui valeam, quid agam, quam sit mihi sana Tolosa,
2 ut primo scribam tempore, saepe rogas.
3 Ut possum valeo, studeo dum suppetit hora,
4 hac ego jam misera factus in urbe miser.
5 Quae stata forma fuit, prisco spoliata nitore est,
6 factus in hac juvenis sum regione senex.

AD CAELINAM BURDIGA.

E2_165 v.1 Caelesti, Caelina, Deo mihi nata videris,
2 a caelo retines nomen et ipsa tuum.
3 Caelestem formam, caelestem denique vitam,
4 caeleste est quicquid, femina diva, geris.
5 In te caelestis probitas, constantia summa est,
6 caelesti humanum mittis ab ore nihil.
7 Caelestis late morum nitor ille tuorum
8 lucet, caelestes permovet atque Deos.

DE LUSCO.

E2_166 v.1 Neutro oculo luscus videt, hunc si munera poscas.
2 Munera des, oculo luscus utroque videt.

DE CLEMEN. PONT. MAXIMO.

E2_167 v.1 De Clemente, quod est conscriptum carmine, crimen,
2 id verum aut falsum protinus esse scio.
3 Si verum est, vere jam possum dicere, mundi
4 urna brevis vitium claudit et omne scelus.
5 Si falsum est, vere jam possum scribere, mundi
6 dux, pax, lux, parvo contegitur tumulto.
7 At falsum esse reor. Quis enim committere summum
8 Pontificem Romae talia monstra putat ?

AD REGNESSONUM.

E2_168 v.1 Si pulchrum nostro laudari carmine credis,
2 laudator dicar nominis esse tui.
3 Sin tu turpe putas celebrari carmine nostro,
4 ut possim de te scribere, mutus ero.

AD PORRUM.

E2_169 v.1 Te vocat ad sese doctus (mihi crede) Minutus,
2 condicio non est haec mala, Porre, veni.
3 Ut docilem doceas puerum formesque monendo,
4 hac te, non alia condicione, cupit.
5 Te belle excipiet, nihil est jam, Porre, timendum,
6 condicio melior si tibi nulla, veni.

AD DAURONUM, ET GAYSSINUM.

E2_170 v.1 O cari et lepidi duo sodales,
2 in justos pietate pertinaci,
3 ambo persimiles, Deo dicati,
4 ambo, inquam, similes paresque, quorum
5 unus optimas, alter et fidelis ;
6 tam sanctum bene convenire vobis,
7 quam vile est male convenire binis,
8 qui sunt impietate pertinaci,
9 ambo dissimiles, malis dicati,
10 vobis dissimiles, sibi paresque,
11 ambo, inquam, similes paresque, quorum
12 unus pessimus, alter infidelis.

IN FULVIAM.

E2_171 v.1 Tu mihi quae statuis tempusque modumque locumque,
 2 praescribisque domum, Fulvia, lena tibi es.
 3 Tu quae mentiris nomenque genusque torumque,
 4 non lenae, scorti Fulvia munus obis.

AD CLINIAM.

E2_172 v.1 Immeritum vexas cur, Clinia, pectus amantis ?
 2 Nolle aut velle opus est te dare pacta mihi.
 3 Venturam juras, quoties te, cara, rogabo.
 4 Dum rogo, dum clamo, Clinia nulla venit.
 5 Cur tam saeva mihi es, cum sim tibi, Clinia, blandus ?
 6 Quod peto, cur non das, Clinia, quodque potes ?
 7 Constituis tempus, ne quicquam, Clinia, certam
 8 constituisque domum constituisque diem.
 9 Cum frustra exspecto, venias nec Clinia, praestat
 10 promittas solum id quod potes ipsa dare.

AD JACOBUM CHESSACUM.

E2_173 v.1 Plura tuis donas, Jacobe, parentibus, ipsi
 2 quam tibi jam possit reddere clara domus.
 3 Ornant divitiis te nobilitate parentes,
 4 praeluces summa tu probitate tuis.
 5 Qui tibi nascenti vitam victumque dedere,
 6 hos studio tremulos consilioque juvas.

DE CLINIA.

E2_174 v.1 Prprimo conspectu capta est mea Clinia, quare ?
 2 Reddere nam voluit quod tribuebat amans.

AD PATREM CLINIAE.

E2_175 v.1 Quisquis es, in nostris locus est tibi jure libellis.
 2 Nam vero, quem vix noscis, amore colis.

IN NASINUM.

E2_176 v.1 Tu quocumque loco fueris, Nasine, dolorem
 2 et crurum et laterum fingis et ipse pedum.
 3 Arcassis medicos, veniunt, Nasine vocati,

4 pharmaca quae statuunt esse venena putas.
 5 Te offendunt fidi, numquam laetaris amicis,
 6 nil audire potes quod tua membra levet.
 7 Contrectant nervos venasque latusque pedesque
 8 frustra : nam te alia parte dolere sciunt.
 9 Altius excurrant, cerebro caput absque docebunt,
 10 et validum toto corpore, mente premi.

AD BULLAM.

E2_177 v.1 Mentiris bullas Romano a Caesare Bulla,
 2 Caesaris haec non sunt dona, sed ista Dei.
 3 Pontifice a summo veniunt haec fulmina, Bulla,
 4 quem solum in terris vult Deus esse Deum.

AD SEVINUM.

E2_178 v.1 Carmina longinqua si nostra legentur in urbe,
 2 cognoscet nomen gens peregrina tuum.
 3 Si non excedat patrios liber iste penates,
 4 cognosci nomen sat voluisse tuum.

AD AEGIDIUM BOHERUM,

E2_179 v.1 Muneribus summis doctos ornare poetas
 2 antiqui moris (Plinius inquit) erat.
 3 Temporibus vero nostris pro carmine vati
 4 nemo dabit nummos, praemia nemo suo.
 5 Laudari cupiunt omnes, persolvere nemo :
 6 promittunt cuncti munera, pacta negant.

AD CANDIDUM.

E2_180 v.1 Candide, nostra legens lector sis candidus, ullum
 2 gratius haud quod des munere munus habes.
 3 Hoc per amicitiam te solum, Candide, posco,
 4 nostra legens lector candidus esse velis.

IN NAT. BEDAM.

E2_181 v.1 Dum tua, Beda, levis vexat sententia justos,
 2 plus tibi quam justis haec tua lingua nocet.

IN EUMDEM.

E2_182 v.1 Atlas Sorbonae gemuit sub pondere, Beda,
2 namque aliis patitur quod dedit exilium.

DE EODEM.

E2_183 v.1 Quae te felicem dixit dixitque beatum
2 Gallia, te miserum dicere, Beda, potest.

AD NICOLAUM FABRITIUM VALESIIUM.

E2_184 v.1 Vulcanum artificem exactum finxere poetae,
2 quod summum armaret fulmine et ense Jovem.
3 Sigaeum fabrae celeberrimus artis Epeus
4 struxit equum, ad Trojam quo via facta fuit.
5 Daedalus ingenio, reliquis quoque clarior arte,
6 duxit iter nullus quod retinere potest.
7 Composuit saeva taurum faber arte Perillus,
8 qui tauro inclusus, quem reperit, periit.
9 Mamurius vili de stipite falce dolavit
10 Vertumnum, Ausonii quem coluere deum.
11 Qui Paridis classes dubios confinxit in usus,
12 arte Phereclus in hac non minus aptus erat.
13 Et clipei fabricator erat Didymaon, amico
14 quem Niso Aeneas obtulit ex merito.
15 Archytam et Glaucum taceo, taceoque Mironem,
16 et cunctos quibus ars nota fabrilis erat.
17 Hos celebrant (fateor) summi clarique poetae,
18 Fabricium vates, qui celebrabit, erit.
19 Vulcanum vincis, per te superatur Epeus,
20 ingenio cedit Daedalus ille tuo.
21 Nec modo quos memini fabros, Faber optime, vincis,
22 sed plus his qui sunt quique fuere sapis.

IN FRANCISCANOS AURELIANOS IMPOSTORES.

E2_185 v.1 Cum clamat larvas furiosa caterva leonum
2 infestare suam nocte dieque domum,
3 res vera est, falsi, larvati denique fratres,
4 quos vestis sanctos prodigiosa facit ;
5 sunt lemures, larvae, furiae vulpesque lupique,
6 qui infestant vitiis seque suamque domum.

DE APPARATU BELLII ALLOBROGICI.

E2_186 v.1 Semina bellorum latum dispersa per orbem,

2 saeva inter Reges bella futura docent.

DE EODEM PROGNOSTICON.

E2_187 v.1 Aut pax summa aderit Gallis, vel proelia summa,
2 hoc animus regis significare potest.

RESPONSUM PASQUILLI DE ROMA.

E2_188 v.1 Roma quid est ? Quod te docuit praeposterus ordo.
2 Quid docuit ? Jungas versa elementa, scies.
3 Roma amor est ? Amor est. Qualis ? Praeposterus. Unde hoc ?
4 Roma mares, noli dicere plura, scio.

DICTIONUM PASQUILLI.

E2_189 v.1 Pontificem tollas, totum qui diruit orbem,
2 Roma caput mundi, Romaque causa boni est.

INVERSUM PASQUILLI DICTUM.

E2_190 v.1 Pontificem tollas, totum qui dirigit orbem,
2 non mundi caput est Roma, sed ansa mali.

AD PEXUM.

E2_191 v.1 Huc ades et morbos expellas, Pexe, nocentes,
2 curre age, res salva est te veniente, veni.
3 Curre, veni, propera, nec te (mihi crede) pigebit
4 Vulteio medicas applicuisse manus.

IN FALSOS MONACHOS.

E2_192 v.1 Quid nescire mali, quid non committere credis,
2 quid falsos monachos fingere posse negas ?
3 Ad quodvis facinus prompti doctique malorum
4 procurant, patitur, quicquid et orbis habet.
5 Imponunt, damnant, clamant, moechantur, aberrant
6 a vero, sternunt ad mala cuncta viam.
7 Hos miserum vulgus ditat, miratur et ipsum
8 quod suadent vero verius esse putat.
9 Plus fera monstra malis monachis non continet orbis,
10 hos tamen ut sanctos credula turba colit.

DE BONIS MONACHIS.

E2_193 v.1 Quid nescire boni, quid non committere credis
 2 quid veros monachos fingere posse putas ?
 3 Ad virtutis opes prompti doctique bonorum
 4 procurant sentit, quicquid et orbis habet.
 5 Solantur, lugent, cantant, patiuntur, et augent
 6 verum, praescribunt ad bona cuncta viam.
 7 Hos sanctos populus laudat, miratur et ipsum,
 8 quod suadent, vero verius esse videt.
 9 Justius hoc toto monachis nil vivit in orbe,
 10 hos tamen ut miseros lividus orbis habet.

AD QUADRAM.

E2_194 v.1 Servitium Berdo toties quod, Quadra, dedisti,
 2 dulce duobus erat, triste duobus erit.
 3 Constrictus vinclis Berdus gravibusque catenis,
 4 at tua perpetuo carcere membra jacent.
 5 Jure graves perfert ut adulter adultera poenas,
 6 mercedem meritum debet habere suam.

DE BERDO.

E2_195 v.1 Jussit Amor Berdum ferre aurea vincla, catenas
 2 illum etiam ferri carpere jussit Amor.

AD MONTIUM.

E2_196 v.1 Claudia tua est conjux, caeca et gibbosa, sed illa
 2 pulchrior arbitrio nulla puella tuo est.

AD BOYSSONEUM.

E2_197 v.1 Certa lege cupis geminos cognoscere amantes ?
 2 Tum nosces male cum dicit uterque sibi.

DE DOLETO.

E2_198 v.1 Tam pulchrum est corpus, mens est tam pulchra Doleti,
 2 totus ut hoc possim dicere, pulcher homo est.

AD CLINIAM.

E2_199 v.1 Cum volo, dissimulas, simulo tum, Clinia, cum vis :
2 dispeream, nisi amas, dispeream, nisi amo.

IN BORDINUM, QUI EX MEDICO EFFECTUS EST SACRIFICUS.

E2_200 v.1 Tu medicus morbos semper, Bordine, petebas,
2 sacrificus mortem et funera nigra petis.

RESPONSIO.

E2_201 v.1 Nascentes medicus pellebam a corpore morbos,
2 sacrificus menti quae nocitura, levo.

AD CLINIAM.

E2_202 v.1 Nulla non quaeris morbum ratione levare,
2 exstingui per te nec ratione potest.
3 Quod mihi te propter nulla ratione paravi,
4 tollere nulla etiam tu ratione potes.

AD HENRICUM FRATREM.

E2_203 v.1 Te verum fratrem nullo non tempore dixi.
2 Non solum frater, nunc mihi sed pater es.

IN LURIDUM.

E2_204 v.1 Te nihil improbius, nil nequius ; illud in ore
2 tu tamen, o mores, Luride, semper habes.
3 Exclamas, mundus res immundissima facta est,
4 criminibus virtus commaculata perit.
5 Delirant Reges, lex dormit, labitur orbis,
6 Pontifices nostri nil pietatis habent.
7 Haec coram populo deploras, Luride ; verum
8 tu solus cunctis crimina plura facis.

CLINIA DE SEIPSA.

E2_205 v.1 Cur vitio vertis, quoties irasceris, istud,
2 quod non ingenuo sum patre nata tibi ?
3 Haud habeam licet ornatos clarosque parentes,
4 objiciet sordes, crimina nemo mihi.
5 Rustica sum, fateor, sed vita et pectore claro,

6 atque anima in puro corpore pura meo est.

DE RUBELLA VENEFICA.

E2_206 v.1 Non satis externo contenta cruore Rubella est
2 sed summa pueros impietate necat.

AD CLINIAM.

E2_207 v.1 Cur lacrimis dammas compescam, Clinia, anhelans
2 causa est, si nescis, me tuus urit amor.
3 Vivere nec possum posthac, te sospite , sospes,
4 gratia praesentem ni tua praestet opem.

AD BOYSSON. DE GLAUCIA.

E2_208 v.1 Inter formosas, doctas castasque puellas,
2 o quantum cunctis Glaucia visa placet.
3 Arridet pulchris, doctis castisque, frequentes
4 nulla magis docta est voce movere procos.
5 Nulla benigna magis, nulla est prudentior, omnes
6 illa domare potest simplicitate feras.
7 Sit licet ex humili nec claro sanguine nata,
8 a vili tamen est rusticitate procul.
9 Barbariem patriae gentisque solique locique
10 omnibus exturbat, si qua puella modis.
11 Intuitu, labris, risu, vultu atque capillis,
12 sedulitate joci digna tenere Deos.
13 Si non te recreat, si non tua lumina pascit,
14 orbatum credam iudicio, atque oculis.
15 Nobilis illa quidem sola virtute, sed una
16 et patriam virtus vincit et una genus.
17 Glaucia divinis nec adhuc cantata poetis
18 laude nec exigua digna puella fuit.
19 A priscis priscae vitam accepere puellae
20 vatibus, ornavit carmine quisque suam.
21 Cur non carminibus celebratur Glaucia vatium,
22 in se plus priscis quae rationis habet ?
23 Arbitrio laude est dignissima Glaucia nostro,
24 nulla magis vita est, morteque digna minus.

DE FULVIO.

E2_209 v.1 Sic est in fatis, depingit Fulvius, ille
2 dum sibi per terras, per mare quaerit iter.
3 Pingenti quidam dicit, non talia debes,
4 sic est in fatis pingere, sed fatuis.

AD CASTELLUM VIENNENSEM.

E2_210 v.1 Virtutes tibi sunt rarae, rarum decus, atque
 2 rara animi bonitas raraque forma tibi.
 3 Quae juncta efficiunt, ut sis mihi rarus amicus,
 4 raraque, quam ducis, vivere vita facit.

AD HIER. VINDOCINUM.

E2_211 v.1 Sentio honorificum mihi, quod mea carmina laudas ;
 2 nam te perpetua iudice laude fruar.

EPITAPH. FRANCISCAE SORORIS.

E2_212 v.1 Francisca, heus, ego sum, quae primo flore iuventae
 2 pro puero pariens, cum puero hic jaceo.
 3 Ipsa fui vivens Vultei candida conjux,
 4 cui genus et patriam Belgica terra dedit.
 5 Nil virtus, nil forma mihi, nil profuit aetas,
 6 hoc fato superi me voluere mori.

ALIUD.

E2_213 v.1 Ante diem tetricae ruperunt pensa sorores,
 2 nam primum natum dum pario, pereo.

AD TRASSABOTUM.

E2_214 v.1 Quod pingis, summus pinxisse videtur Apelles,
 2 aut Zeuxis, vel quis doctus utroque magis.
 3 Quod scalpis, quis non credat scalpsisse Mironem ?
 4 Fingis, Lysippi quis negat esse manum ?
 5 Aedificas claras variis ambagibus aedes,
 6 quis non Daedaleum cogitat ingenium ?
 7 Dum raras ducis statuas formasque nitentes,
 8 quis non Praxitelis indicat istud opus ?
 9 Si causas tractare cupis legesque docere,
 10 quis toto poterit doctior esse foro ?
 11 Haec tamen ut jaceant nunc ornamenta iuventae,
 12 cuncta suo vivent tempore, cuncta loco.

DE CLINIA.

E2_215 v.1 Quae curas pariat, de multis Clinia nobis,

2 quae curas abigat, Clinia sola data est.

AD CLINIAM.

E2_216 v.1 Si noster quid possit amor non, Clinia, monstrat,
 2 sed tegitur, noceat ni mala lingua mihi.
 3 Hunc precor exstinctum ne credas, Clinia ; namque
 4 plus vivi latitans flamma caloribus habet.

SOLATUR VILLANUM.

E2_217 v.1 Enecat, exclamas, frangit perditque puella
 2 me mea, nec poenis flectitur illa meis.
 3 Dum queror, irridet, sic verba et tempora perdo ;
 4 dum patior, patitur me graviora pati.
 5 Haec totis vexat corpus mentemque diebus,
 6 quid facias ? Dura, aut desine amare miser.

DE GALLERIO CLASSICO.

E2_218 v.1 A Classe ad classes ludi bonus ille magister
 2 tractus, trans terras, nil nisi triste videt.
 3 Compeditibus vinctus, laqueis constrictus iniquis,
 4 vulnera fert nudus dura et amara nimis.
 5 Ferrea vincla caput collumque et brachia cingunt,
 6 ferrea vincla manus, ferrea vincla pedes.
 7 Nec spem libertatis habet quem fervidus Auster
 8 per freta, per scopulos, Rege volente, premit.
 9 Nil non tentatum est, posset quo principis ira
 10 flecti, sed nullo frangitur ira modo.
 11 Quae ratio, quae causa Duce inflammavit ad iram
 12 nescio, sed nullo tempore tanta fuit.

AD JO.TANTALIUM.

E2_219 v.1 Dum desit Musae vigor et dum lingua palato,
 2 dum desint oculi, dum mihi utraque manus,
 3 tum tibi, Musa, suum, tibi tum mea lingua negabit
 4 officium atque oculi, tum tibi utraque manus.

DE LUDIS TOLOSANIS.

E2_220 v.1 Lege sub hac moriens ludos Clementia fecit,
 2 ut tandem partas victor haberet opes.
 3 At Clementia nunc facta inclementia, quare ?
 4 De victore suo, qui superatur, ovat.

AD CLEMENTIAM, QUAE TOLOSAE LUDOS LITTERARIOS INSTITUIT.

E2_221 v.1 O Clementia, te quaenam dementia cepit,
 2 haeredem ingratham constituisse domum ?
 3 Recta fuit forsane, sed non tua facta voluntas,
 4 munera ni demens haec tua nullus habet.
 5 Ut quondam victa est caeco sub iudice Pallas,
 6 sic minor est ludis docta Minerva tuis.

AD CLINIAM.

E2_222 v.1 Intuitu sperare facis, sperando necesse est
 2 multa pati, patiens nocte dieque queror,
 3 at nulli questus possunt exstinguere morbum,
 4 casibus a tantis ni revocare velis.

AD MARI. PEXUM MEDICUM.

E2_223 v.1 Cum tibi do versus, reddis mihi pharmaca, Pexe,
 2 ars tua, Pexe, tamen vincitur arte mea.
 3 Corporis instaurant vires tua munera, verum
 4 ingenium recreant carmina nostra tuum.
 5 Sed cum das versus simul et medicamina, Pexe,
 6 plus mihi das possim quam tibi, Pexe, dare.
 7 Ergo age Vulteium cupias si vincere donis,
 8 parva licet tibi dem munera, pexa dato.

IN AULICUM.

E2_224 v.1 Quo peccas magis, hoc metuis minus, Aulice, numquid
 2 formidas flammam, vincula, tela, rotas ?
 3 Num furcam, num saeve famem, num claustra crucemque,
 4 num durae mortis spicula dura times ?
 5 Ni toto caelo, peream male, caecus aberres :
 6 qualis sit nescis vindicis ira dei.

AD CRASSUM.

E2_225 v.1 Vincere me veteres dicis gravitate poetas,
 2 vincere me numeris dicis et arte novos.
 3 Tum veteres numeris vincam gravitate recentes,
 4 cum vetus exacto tempore factus ero.

DE DOLETO, ET G. SCAEVA, AD CANDIDUM.

E2_226 v.1 Quod laudem, venererque duos, nil candide mirum,
2 praestitit hic operam, praestitit alter opem.

AD CLINIAM.

E2_227 v.1 Illum concedas oculum te, Clinia, posco,
2 illum, inquam, qui nos tam bene amare facit.
3 Illo scis quid agam? Subito te, Clinia, cernam,
4 et rapiam, rapuit quo prior ille modo.

IN PERDITUM DISCIPULUM.

E2_228 v.1 Nil audire potes, nil discere nilque videre ;
2 ergo nihil, certum est, perditae, scire cupis.
3 Aeque fac capias animo mea, perditae, dicta,
4 effutire meus talia cogit amor.

AD EUMDEM.

E2_229 v.1 Perditae, vis cunctis vita famaue placere ?
2 Declinare decet turpia, honesta sequi.

AD PEXUM MEDICUM.

E2_230 v.1 Ars desperatam reddit tua, Pexe, salutem,
2 corpora ab inferno suscitata atra lacu.
3 Imminuit morbos naturae ancilla parentis,
4 caudas dat vitae, dat tibi signa necis.
5 Exonerat ventrem, cerebrum purgatque juvatque.
6 Si vincat mortem, vincere cuncta potest.

AD VALLEAM BURDIGALENSEM.

E2_231 v.1 Quod tibi dem versus genio nasoque carentes,
2 des hoc naturae temporibusque meis.
3 Ingenium parvum est, incultum est, turpiter hirtum est,
4 tempus et hoc, ne sit libera Musa, facit.

AD PAPILLUM.

E2_232 v.1 Artem quisque suam perdocte exercent, artes
2 felices fient artificesque boni.

IN GORSUM.

E2_233 v.1 Magnas inter opes inopem deducere vitam,
 2 hoc pulchrum tibi, sed nil mihi turpe magis.
 3 Gorse, placet nulli vita haec tua, quam tibi, sordes
 4 si verum vitae nomen habere queant.

IN CANOSUM IMPIUM.

E2_234 v.1 Si verum dicam, veniam des vera loquenti,
 2 scire tuos mores et reticere nefas.
 3 Tu caelo superis facis et convicia divis,
 4 esse apinas Christi numina sancta putas.
 5 O numquam nostris audita infamia saeculis,
 6 pro dolor hoc pateris, quod, bone Christe, vides ?

AD SIRESIUM.

E2_235 v.1 Tempore vis parvo plures acquirere amicos ?
 2 Munera cum dederis plurima, pauca cape.

ALIUD.

E2_236 v.1 Hac ratione tibi multos numerabis amicos,
 2 paucula cum sumes, maxima dona dato.

IN MATELLUM.

E2_237 v.1 Cum bene velle mihi te jurat amica, Matelle,
 2 mendax est, nam te dissimulare scio.
 3 Cum male velle tibi me jurat amica, Matelle,
 4 verax est, numquam dissimulator ero.

AD CL.MANILIUM.

E2_238 v.1 Temporibus nostris Franciscus captus ab hoste,
 2 sed vera hoc factum proditione fuit.
 3 Temporibus nostris Francisco praeside victa est
 4 Barbaries, verae hoc nobilitatis opus.

AD GILBERTUM.

E2_239 v.1 Bis senos pueros meretrix tibi Flora reliquit,
 2 Anna novem moriens, et tibi Ruffa decem.

3 Presbyterum a puero factum te quam grave damnum ;
4 mentula nam poterat multiplicare genus.

AD PETITUM.

E2_240 v.1 Convivam tibi me petis, Petite ?
2 Fac vinum placeat meo palato.
3 Vis dicam quibus hoc modis probabis ?
4 Delectans oculos, colore claro, et
5 sit dulci recreans odore nares,
6 pascens mellifluo sapore linguam,
7 aures nomine : sic merum probandum est,
8 ut molli placeat meo palato.

AD CHRISTOPH. RICHERIUM.

E2_241 v.1 Erras, si quemquam plus me tibi credis amicum.
2 Cur ita ? Namque meo plus mihi corde places.

AD JO. VILLANUM PARISIENSEM.

E2_242 v.1 Ne vivam, nisi te plus pectore semper amavi,
2 candida quo primum cognita vita die.
3 Dispeream, nisi te plus pectore semper amabo,
4 ni mutet mores sordida vita tuos.

DE EGENO.

E2_243 v.1 Qui numquam vixit, numquam morietur egenus :
2 hos quibus arca tumet, mors aliquando rapit.

AD PETRUM CONVERTIUM DE DOLETO.

E2_244 v.1 Hoc scio, noster amat Stephanus mea scripta Doletus,
2 carta facit certam, si modo vera, fidem.
3 Fingere sed quicumque talem quis credit amicum :
4 mentiri grande est credere velle scelus.

IN FUSCAM.

E2_245 v.1 Tres mihi denarios poscis pro nocte ; puellam
2 denariis talem non emo, Fusca, tribus.

IN FAGUM.

E2_246 v.1 Indoctus cum sis doctis tua carmina mittis,
 2 non tamen ut faciant haec meliora facis.
 3 Esse tibi vates summusque videris Apollo :
 4 insanis, stultum est, quod facis, hoc facere.

IN AULICUM.

E2_247 v.1 Vixisti miser, et vivis miser, Aulice, vives
 2 et miser. At felix, dum morieris, eris.

AD LEVESCUM,

E2_248 v.1 Virtutis clarae verumque, gravemque peroptas
 2 testem ? Nullus erit certior invidia.

AD JAC. LODOIC. STREBAEUM.

E2_249 v.1 Tu tibi, tu patriae, cunctis tu consulis, ornas
 2 ipse tuis opibus dum Ciceronis opus.

AD FAGELLUM.

E2_250 v.1 Carminibus cantas, nunc aurea saecula, nunc sunt,
 2 aurea sunt, sed non qua ratione canis.
 3 Non summum, Fagelle, Deum, non numen adorant,
 4 aurea mortales sed simulacra colunt.
 5 Aurum omnes poscunt nulla ratione, tenet nos
 6 auri multa fames, multus adurit amor.
 7 Auro venales leges, venalia jura,
 8 Auro relligio est victaque nostra fides.
 9 Auro venit honos, auro sunt crimina virtus,
 10 auro - quid dicam ? - venditur ipse Deus.
 11 Hoc, Fagelle, modo sunt aurea saecula vere,
 12 vere, inquam, sunt hoc aurea saecula modo.

AD POLITEM.

E2_251 v.1 Saepe tuo quid sim facturus nomine quaeris :
 2 facturus quid sim, jam experiare, scies.

DE VERSIBUS PERDITIS.

E2_252 v.1 Carmina Vultei casu periire poetae,

2 carmina non uno quae cumulata die.
 3 Si quisquam reperit multo donabitur auro,
 4 dum reddat sancta, quae periere, fide.
 5 I puer, et structis citus haec propone columnis,
 6 et dominum, et domini, te rogo, scribe domum.

IN BARBATULUM.

E2_253 v.1 Ad mores mentemque putas quidquam addere barbam ?
 2 Ingenium nobis addere barba nequit.

EPITAPHIUM QUERCULI.

E2_254 v.1 Contra homines, contra superos qui multa locutus,
 2 nunc scio quam noceat livida lingua mihi.

EPITAPHIUM PROBI.

E2_255 v.1 Pro Christo sanctaque fide, qui plurima passus,
 2 quam sit dulce mihi probra tulisse, scio.

EPITAPHIUM APRI.

E2_256 v.1 Multa vorabat Aper vivens, sed plura bibebat :
 2 vermes nunc potu pascit et ille cibo.

QUALEM NOLIT AMICAM.

E2_257 v.1 Rusticulam nolo et cautam mihi nolo puellam,
 2 illa parum grata est, grata sed ista minus.
 3 Annosae moveor numquam nec amore puellae,
 4 nondum matura haec, plus satis illa vetus.
 5 Illa meum sensim tangit cor, angit agitque,
 6 cui placidi mores aptaque forma toro est.

GRAMMATICA PICTA.

E2_258 v.1 Grammaticam vere quidam cum pingere vellet,
 2 in vili picta est femina nuda loco.

DE JULIO CAESARE SCALIGERO.

E2_259 v.1 Sepositas Caesar devicit Julius urbes,

2 urbi subjecit barbara regna suae.
 3 Belliger ille fuit, nostri sed Julius aevi
 4 plus prisco ingenii Caesare Caesar habet.
 5 Aliger ut missis transverberat omnia telis,
 6 sic puro cunctos Scaliger ore rapit.

DE JUDICIO PARIDIS.

E2_260 v.1 Si Venerem cernas, Paridis sententia justa est ;
 2 illa eadem visa Pallade, iniqua tibi est.

AD JO. LAURENTIUM.

E2_261 v.1 Nescis quae duo dat felicia tempora conjux ?
 2 Tempus habes thalami, tempus habes tumuli.

IN DISSIMULATOREM.

E2_262 v.1 Ut mersi pelago scopuli plus navibus obsunt
 2 quam quos e specula cernere nauta potest,
 3 sic nocet ille magis qui se simulabit amicum,
 4 quam qui numquam non hostis apertus erit.
 5 Officiis certes, studiis contende, probabo
 6 tum plenum sanctae pectus amicitiae.

DE JAC. BELNENSI QUAESTORE.

E2_263 v.1 Felix et primis Quaestor Belnensis in annis,
 2 evehit ad summos seque suosque gradus.
 3 Infelix seris Quaestor Belnensis in annis,
 4 ad summam trudit seque suosque crucem.

EJUSDEM EPITAPHIUM.

E2_264 v.1 Hoc tu felicem, infelicem conspice ligno,
 2 crux tamen haec unum non nisi corpus habet.
 3 Quaestor erat Regum fortunae munere felix,
 4 infelix quaestor munere sortis obit.

DE PAULO PONTIFICE.

E2_265 v.1 Qualiter adventu nova facta est Gallia regis
 2 Francisci, mores sumpsit et ipsa pios,
 3 taliter exturbat veteres nova Roma rapinas,
 4 et Christum, Paulo praeside, Roma colit.

DE IMPOSTURA APUD MURETUM FACTA.

E2_266 v.1 Quid modo saeculorum miracula ficta priorum
 2 ridemus ? Risu sunt nova digna magis.
 3 Si lapides, aurum, argentum ferrumque putarunt
 4 majores, statuas lignaque muta loqui.
 5 Mira quidem verum ludibria Daemonis, ut nos
 6 arte sua in casses praecipitaret, erant.
 7 Artibus ast homines hominum luduntur et illos,
 8 qui imponunt, sanctos plebs putat esse rudis.
 9 Mureti uncta oleo nuper testatur imago
 10 sacrificum, mixto sanguine, tinctor manu.
 11 Persuadet populo fictus sudare sacerdos
 12 effigiem Christi, credula turba probat.
 13 Et paene est totum res haec dispersa per orbem,
 14 sic crevit falsa credulitate dolus.
 15 Muretum accurrunt caeci, quo cernere possint,
 16 et muti, ut possit, liberalilingua loqui.
 17 Quid ? Claudii, surdi, insani, morboque gravati
 18 depictae reddunt plurima vota cruci.
 19 Ille offert vestes, hic caerea lumina, rarum
 20 hic linum, a ligno quisque requirit opem.
 21 Lintea dat pauper, togulam pro munere servus,
 22 sic rapit innumeras callidus unctor opes.
 23 Fraus abit in vulgus, sceleris traducitur auctor,
 24 cogitur ille, uncta pro cruce, ferre crucem.

AD CASTRICUM.

E2_267 v.1 De te quid clamas me nil scripsisse ? Loquendi
 2 non habui causam, Castrice, non habeo.

AD MICHAELEM VERNUM.

E2_268 v.1 Qui sit, viventi quod debita fama negatur,
 2 quodque suo factum tempore nemo probat ?
 3 Graecus amat, veteres quicquid scripsere Latini,
 4 quae Graecus scripsit dogmata, Gallus amat.
 5 Quid facias ? Sic sunt mores, sic tempora, Verne :
 6 in patria hoc tritum est, nemo propheta sapit.

IN BEDAM.

E2_269 v.1 Spem vitae eripuit justis sententia Bedae,
 2 multaque permultis Beda pericla creat.
 3 Sed dum non habuit justos, quos perdere posset,

4 perdidit infelix se peritque sibi.

DE EODEM.

E2_270 v.1 Esse quid hoc dicam, Batavus quod scripsit Erasmus,
 2 Beda sapit ? Non est, quod facit, hoc sapere.
 3 Cum vexat doctos, audet contemnere reges
 4 ille pios, sapit ; ast hoc nimis est sapere.

IN BALBULUM.

E2_271 v.1 Occidis, jugulas, scortaris, praedia perdis,
 2 juras, imponis, turpia multa facis.
 3 Vivere sic, magni esse animi quod, Balbule, credis,
 4 et proprium jactas nobilitatis opus.
 5 Erras : nobilitas clara est, candida honesti
 6 nutrix. Insanus, quae facis, ista facit.

AD SALVIAM.

E2_272 v.1 Salva fronte mihi, quod salva fronte petebam,
 2 praestas ; res salva est, Salvia, crescit amor.

IN PANDULUM.

E2_273 v.1 Qui te virtutis studiosum, Pandule, dixit,
 2 mentitur : scelus es, non sceleratus homo.

DE GLAUCIA, ET LAURA.

E2_274 v.1 Laurae oculos regum turbavit forma, sed illa
 2 nobilior cum sit Glaucia, quid faciet ?

DE GLAUCIA, ET SEIPSO.

E2_275 v.1 Glaucia carminibus celebrata, ego debeo, dixti,
 2 hanc operi vitam, quam mihi debet opus.

DE EADEM.

E2_276 v.1 Carminibus celebrata meis sic Glaucia, dixit,
 2 jam cedit quovis iudice Laura mihi.
 3 Laura Italo vivens usa est praecone poeta,
 4 Gallo ego : dic cujus gloria major erit.

AD SCAEVAM.

E2_277 v.1 Civili de jure rogas quid sentio, Scaeva ;
2 hoc verum noster quod Rabelaesus ait.

IN CENACUM.

E2_278 v.1 Cum nostros versus suprema ad sidera tollis,
2 non potes in versus dicere plura, tace.

IN GALBINUM.

E2_279 v.1 Cum verbum Christi libertatemque doceres,
2 verbis spernebas, frigora, tela, neces.
3 Errabas, tecumque crucem, Galbine, ferebas
4 sordidus, et plebis fabula pauper eras.
5 At factus ficto nunc dives nomine Christi,
6 quod Christo solum displicet, istud agis.
7 Improbe, scire cupis de te quid suspicer ? Audi.
8 Numquam te verum pertimuisse Deum.

AD CONVERTIUM.

E2_280 v.1 Sat scio, doctorum sententia nostra probavit
2 carmina, quae foedo garrulus ore vorat.
3 Me nihil ista movent ; nam nostrae carmina Musae
4 malim perdoctis quam placuisse malis.

AD BUNELLUM.

E2_281 v.1 Non satis, et nimium est, semel aspexisse Tolosam ;
2 hoc si tu possis solvere, doctus eris.

AD GEORGIUM SELVAM, EPISCOPUM VAUR.

E2_282 v.1 Salvus ut a Venetis redeas, o Selva, rogamus
2 Christum, quo solo praeside tuta via est.

DE RUFFO EPISCOPO.

E2_283 v.1 Quem docuit, didicit, didicit quem discere fas est,
2 post mortem aeterno qui cupit orbe frui.

CLINIA DE SEIPSA.

E2_284 v.1 Injuste ah nimium, nimium paupercula vexor,
 2 corque tenent pressum vincula stricta meum.
 3 Infelicior est claro sub sidere nulla,
 4 quam durum est poenas tam mihi ferre graves ?

AD JO. STELLAM.

E2_285 v.1 Dum fingis teneros, probe, et recentes
 2 formas discipulos, colis poetas,
 3 observas veteres, novos amasque,
 4 Musarum et placidos petis recessus
 5 et scribis numeros venustiores,
 6 hauris eloquium phrasimque Tulli,
 7 et prodesse tibi et cupis Camenis.

IN BAVILLUM.

E2_286 v.1 Cum te vexat amor, sapiens cupis ipse videri :
 2 difficilis res est diligere et sapere.
 3 Quisquis amat, languet, languor quoque suscitatur iram.
 4 Turbatos sensus desipere ira facit.

AD MARGARITAM VAL. NAVAR. REG.

E2_287 v.1 Lilia flaccescant, pereant violaeque rosaeque,
 2 floribus ex variis Margaritis una placet.

IN CENACUM.

E2_288 v.1 In nostris dicis nasum non esse libellis,
 2 hoc fateor, nolunt quod vomis olfacere.

AD MARGARITAM VAL. REG. NAVAR.

E2_289 v.1 Das claudis, caecis, viduis, das munera surdis,
 2 ignorat tamen haec quod facit illa manus.
 3 Margaritis orphano des munera parva poetae,
 4 Reginae scribet munera utraque manu.

EPITAPHIUM AEMILIA NAE TAURINENSIS. AMATOR AD SEPULCHRUM LOQUITUR.

E2_290 v.1 Haec soli mihi flenda jacet quae clausa sepulchro
 2 flenda, inquam, tumidis Aemiliana oculis.

3 Et soli mihi flere datum est, nam semper amavit
 4 ut solum, a solo semper amata fuit.
 5 Sed quid flere juvat, totus quid fundor in amnem ?
 6 Haud redimi nostris fletibus illa potest.
 7 Attamen usque meo mittam de pectore questus,
 8 quo aut vivet lacrimis, aut lacrimis moriar.

DE CLINIA.

E2_291 v.1 Assidue extorquet nostros mea Clinia libros,
 2 si mihi pro libris vult dare labra, dabo.

EPITAPHIUM SEDAMII. LOQUITUR AD VIATOREM.

E2_292 v.1 Tu quid suspiras ? Cesses, mihi gratulor ipsi,
 2 hac qua natus rex interiisse die.

AD CHRISTOPHORUM RICHERIUM.

E2_293 v.1 Vidi ego pictorem, vellet cum pingere corpus
 2 femineum, ut vivam redderet effigiem,
 3 qui sese excrucians nasum quaerebat ab illa,
 4 alteriusque oculos, alteriusque genas ;
 5 illius faciem, crines digitoque latusque
 6 alteriusque pedes alteriusque manus.
 7 "Nae tu stultus homo es, dixi, qui corpore in uno
 8 omnia cum possis cernere, plura petis.
 9 Aspicias oculos dominae faciemque latusque,
 10 aspiciasque manus, aspiciasque pedes.
 11 Vis breviter dicam ? Totum circumspice corpus :
 12 quae multae nequeunt, haec tibi sola dabit.
 13 Ipse etiam ut speres melius te pingere posse,
 14 tentatum numquam paerficietur opus."

IN CENACUM.

E2_294 v.1 Non miror multos scribas quod, Cenace, versus ;
 2 scribere nam facile est, sed bene, difficile.

AD EUMDEM.

E2_295 v.1 Nescio num verum quod de te dicitur ; istud,
 2 ingratum dicam te mihi, si sciero.

AD PETRUM LAGNERIUM.

E2_296 v.1 Ad solitas artes rediit Tartesius, et quod
 2 is virtute nequit fraude, doloque facit.
 3 Hunc vitio vitium cumulare in crimine crimen
 4 ingenia ingenio perdere posse, juvat.
 5 Ille die nulla nullaque quiescere nocte,
 6 ni quem composita laeserit arte, potest.
 7 Huic iter ad facinus nullum natura negavit,
 8 ingenium, et vires huic dea caeca dedit.
 9 Et semel ut tibi rem declarem, Petre, malorum
 10 quicquid Musa potest scribere, solus alit.

DE LAUTRECO.

E2_297 v.1 Cur tu sacra facis Lautreco Roma, quod ille
 2 me mihi restituit, Pontificemque sibi ?

AD ZOILUM.

E2_298 v.1 Si quod amo, hoc laudo, quis nostrum, Zoile, carpat
 2 consilium ? Noster si modo honestus amor.
 3 At verum ut fatear, fuit hoc, quod semper amavi,
 4 tam castum, ut dignum semper amore foret.

AD CAROLUM MARILLACEUM.

E2_299 v.1 Ipse licet fueris per barbara regna secundo
 2 flatu, mens eadem quae fuit ante tibi est.
 3 Nil mutata tua est facies, nil gratia, virtus
 4 nil tua, nil probitas, nil tua laesa fides.
 5 Ille ipse es totus, mores non exuit ipsos
 6 longum iter, aut gentis, barbariesve loci.
 7 Nil grave servitium, nil dura pericula, Graeci
 8 nil populi, nil te terra aliena movet.
 9 Intrepidus, constans, fortis qui tela novercae
 10 vincis, te posse et vincere cuncta, reor.

AD CLINIAM.

E2_300 v.1 Quid jactas, tibi me vitam debere, puella ?
 2 Nil homini, at soli debeo cuncta Deo.

AD PHILIPPUM COSSEIUM, EPISCOPUM CONSTANTIENSEM.

E2_301 v.1 Ista tibi a puero servata modestia, Praesul

2 Cossei, ad laudes me rapit ista tuas.
 3 Non me jampridem latuit tua candida virtus,
 4 qua, scio, amabilius nil solet esse tibi.
 5 Dotes fac habeas fortunae et corporis, adsint
 6 haec tibi, nunc vulgus quae bona summa putat.
 7 Nil virtute tamen prius est, nil sanctius in te,
 8 quam et sequeris, justos quique sequuntur, amas.
 9 Istud ego ingenium felix moresque probatos,
 10 quos mea non posset pingere Musa, probo.
 11 Te exemplum natura dedit mirabile nobis,
 12 ut per te juvenis disceret esse senex.
 13 Semper amas doctos, nec amor vulgaris in illos
 14 est tuus, hos studiis officiisque juvas.
 15 Quod facis, hoc sequere, et per te mea carmina vivant,
 16 carmina, quae paucis nota fuere prius.
 17 Hoc mihi si praestes, te vivo ut vivere possim,
 18 tete immortalalem, me reticente, scies.

AD ROBERTUM LENONCURTIUM, EPISCO. CATALAUNENSEM.

E2_302 v.1 Si te tangit amor patriae, si tangit honestum,
 2 si tibi commisso de grege pascis oves,
 3 si te Musarum moveat, pater inclyte, nomen,
 4 consultum et raris si cupis ingeniis,
 5 si te virtutis pungat reverentia, apud te
 6 si pietatis honos possit habere locum,
 7 his te nominibus pastor, rogo, sume rogantis
 8 laeto inquam vultu, te rogo, sume preces.
 9 Quaque vales multum, praestet tua gratia vati
 10 auxilium, parvum est quod peto, quodque potes.
 11 Scis, puto, quid cupiam : cupit hunc mea Musa patronum
 12 non alium Musis qui solet esse parens.
 13 Austrasiae est princeps, cui tempora murice tincta,
 14 proximus a Gallo qui duce semper agit.
 15 Si mihi opem tulerit, vivam contentus abunde
 16 orbe nec in toto ditior alter erit.

DE SEIPSO.

E2_303 v.1 Per patriam vivo, per me mea patria : vatem
 2 me genuit, nota est versibus illa meis.

DE DOLETO ET SCAEVA.

E2_304 v.1 Et Scaevam merito amplector meritoque Doletum,
 2 officium, obsequium praestat uterque mihi.
 3 O te felicem, tales quae Gallia nutris,
 4 his majus numquam te genuisse putes.

DE PAUPERE AMANTE.

E2_305 v.1 Paupertas et amor faciunt mihi bella, sed ex his
2 illa ferenda magis quam tolerandus amor.

AD LODOICUM VALLEMONSTROSUM.

E2_306 v.1 Musa tuum in me animum numquam, Lodoice, tacebit,
2 nec coepti inter nos finis amoris erit.
3 Namque duos studio quondam quae junxit honesto,
4 finiri nullo tempore causa potest.
5 Despexi numquam (quod fas est credere) nomen
6 ipse tuum, ut facerem causa nec ulla fuit.
7 Nec tibi me oblitum vereor fore, sis licet inter
8 magnanimos reges purpureosque patres.
9 Divitiae nequeunt nec honor pervertere mores
10 quos tibi divinos prima juventa dedit.
11 Esto igitur memor ipse mei, Lodoice, Patronum
12 tu mihi meque illi conciliare velis.

AD FRANCISCUM PIOCHETUM.

E2_307 v.1 Candida mens, vitae candor, virtutis honestum
2 officium jungunt te, Piochete, mihi.
3 Est tamen est aliud, mihi quo conjunctior ipse es,
4 est pietas, fratres quae jubet esse duos.
5 Et quem plus oculis semper dileximus, illum
6 nos Christi ut semper cogit amemus amor.

DE COSSEIA NOBILI PUELLA.

E2_308 v.1 Cosseiam ornarunt Juno Pallasque Venusque
2 dotibus externis, corporis, ingenii.
3 Effecta est dives, sapiens, formosa puella,
4 solaque tres junctae quod potuere, potest.
5 Lis orta est. Venus esse suam Pallasque revincit,
6 esse suam Juno, quaeritur una tribus.
7 Arguit ingenuas artes tribuisse Minerva,
8 divitias Juno, candida membra Venus.
9 Vis dirimam litem? Me judice, Cypris habebit
10 corpus, divitias Juno, Minerva animum.

DE GALLIS.

E2_309 v.1 Absit proditio, ast adsit constantia Gallis,

2 tum Gallos nullus, qui superabit, erit.

EPITAPHIUM ROBERTI LENONCURTII, ARCHIEPISCOPI REMENSIS.

E2_310 v.1 Si nescis brevis haec corpus quod contegit urna,
 2 hoc tumulo clausum est pontificale decus,
 3 pontificalis honos patriaeque patrumque sepulta
 4 laus, Pare quo tellus numquam habitura parem est.
 5 Francorum Par primus erat pastorque fidelis,
 6 rebus in afflictis cura salusque hominum.
 7 Illius in vitam nisi mors mutata fuisset,
 8 optasset simul et Gallia tota mori.

DE JOANNE BARBOO ET PHILIPPO RHOMANO.

E2_311 v.1 Quod tersus meus exeat libellus,
 2 quod purus, nitidus carensque naevis,
 3 quod raris obelis venit notandus,
 4 non debet mihi, sed meis amicis,
 5 qui curam exhibuere, qui laborem
 6 summum, quique operam modo inchoato
 7 numquam sponte operi suam negarunt,
 8 ut purus, nitidus foret libellus.

JOANNIS VULTEII REMENSIS EPIGRAMMATUM LIBER III.

(868 vers)

AD JO. PINUM EPISCOPUM RIVORUM.

E3_1 v.1 Tertius ut properet jamjam me Musa lacessit,
 2 quod scribas (inquit) quodque loquaris habes.
 3 Collige nunc vires calamumque animumque resumas,
 4 perlegis in nomen carmina ficta tuum.
 5 Ista vides patiens ? Requiescis ? Nonne minatur
 6 nescio quis Vates intoleranda tibi ?
 7 Pro scelus, haec toleras ? Insto, magis ac magis urget,

8 reclamo, insistit, me negat esse virum.
 9 Tandem importuno meme clamore fatigat,
 10 et pergit Vatem perdere velle suum.
 11 Quid faciam dux, Pine, mei fautorque laboris ?
 12 Quid faciam suade, me mea Musa premit.
 13 Nolentemque jubet graciles emittere versus,
 14 quos vult nominibus edere, Pine, tuis.
 15 Hoc, si vis, faciam, si non vis, Pine, tacebo,
 16 nam mihi nolle placet dulceque velle tuum est.

AD LIBELLUM SUUM.

E3_2 v.1 Parve liber, properare cupis lucemque requiris,
 2 ne properes, vives sat cito, si bene sat.
 3 Festinare opus est lente, turpissima res est
 4 una te nasei teque perire die.

AD DOLETUM.

E3_3 v.1 Alterius laudes tentant qui scribere, poscunt
 2 hoc sibi quod Marco Virgilioque datum.
 3 Nec linguam Marci Musam nec habere Maronis
 4 opto, te ut quanta dignus es arte canam.
 5 Sed te (quod studeo) dignis ut laudibus ornem,
 6 ipse tuas vires ingeniumque peto.

FRANCISCI VALESII, FRANCORUM REGIS PRIMOGENITI, EPITAPHIUM.

E3_4 v.1 A regno, patre Rege trahunt dum fata, repente
 2 regnum aliud, Regem, dant quoque fata patrem.
 3 At dum commuto regnum Regemque Patremque
 4 Patre Pater major, Rex mihi Rege datur
 5 Rex hominum Divumque pater caelum dedit et me
 6 haeredem esse suum dum voluit, rapuit.

ALIUD.

E3_5 v.1 Rex ego Franciscus dum spero secundus haberi,
 2 spes vana est, nam me vita secunda trahit.

ALIUD.

E3_6 v.1 Exstinguor patre Rege prior, Rex nomine cujus,
 2 ni praeventissent fata, secundus eram.

DE REDITU MAROTI POETAE A FERRARIA.

E3_7 v.1 Quem puerum pavit, nutrit lacte Poetam
 2 Clementem, ad tempus Gallia perdiderat.
 3 At patriae tandem victus dulcedine, dixit :
 4 "In patria est aliquid vivere, jam redeo."

DE EODEM.

E3_8 v.1 Jam rediit Vates, rediit jam, Gallia, Vates
 2 ille tuus, rediit, Gallia, ab exilio.
 3 Quem flesti expulsum, vivit scribitque, sonantem
 4 nonne audis dulci carmina sancta pede ?
 5 Pone pias lacrimas, periit jam causa doloris,
 6 speratum in risum versa querela tua est.

DE SEIPSO ET CLINIA.

E3_9 v.1 Cum video esse meum dominae cor, pello timorem,
 2 inque sinu foveat me teneatque peto.
 3 Tum mihi respondet : "Quid talia quaerere pergis ?
 4 Num cordis dominus, corporis est dominus ?"

ERASMI ROTERODAMI EPITAPHIUM.

E3_10 v.1 Hunc tibi dum tumulum Germania condit, Erasme,
 2 non te (ne doleas) sed sua membra tegit.
 3 Nam tu immortalis vivis, sed mortua paene
 4 illa eadem tumulo semisepulta jacet.

ALIUD.

E3_11 v.1 Ad mortem qui stravit iter sibi dulce putavit
 2 hac, quam monstrarat, sidera abire via.

ALIUD.

E3_12 v.1 Dum parat ad mortem nobis pia dogmata Erasmus,
 2 vult se immortalem, quod facit, efficere.

AD CAUSSADUM.

E3_13 v.1 Cum dicis tenerae canum nupsisse puellae,
 2 cum Mauro juncta est Fulvia Grammatico.
 3 Te forsan rugae fallunt niveique capilli,

4 namque senex non est, Caussade, bis puer est.

IN MAURUM.

E3_14 v.1 Sit licet empta decem numorum millibus uxor,
 2 sit licet in turpi carcere clausa Venus.
 3 Si velit ipsa potest tibi retia, Maure, parare et
 4 emptorem vafra decipere arte suum.
 5 Namque doces pueros fraudes tum spernere amantum,
 6 cum discit iuvenes uxor amare procos.
 7 Jure quidem, nam turpe senem nupsisse puellae est,
 8 quaerere nonne potest bella puella parem ?
 9 Haec vere vera est docti sententia Vatis,
 10 et tu, si bene vis nubere, nube pari.

IN EUMDEM.

E3_15 v.1 Infelix Maurus vere nunc morio. Quare ?
 2 Quaeritis. Uxori non facit ille satis.

AD MAT. PACUM.

E3_16 v.1 Quaeris, Pace, meo mali quid optem
 2 hosti ? Quae soleo meis amicis.
 3 Hunc sanum atque alacrem, probum, pudicum,
 4 castum, pacificum, pium, innocentem,
 5 prudentem, facilem, minus severum,
 6 jucundum, incolumem bonisque gratum,
 7 summis laudibus atque honore dignum,
 8 fortem, magnanimum, peto et quietum
 9 et doctum et placidum diu videre.
 10 Fictam percupio trucem, superbam
 11 deponat faciem improbosque mores
 12 prorsus exuat et sibi malorum,
 13 quicquid denique sordium pararit,
 14 prudens atque sciens prius, relinquat.
 15 Vis dicam breviter meo quid optem
 16 hosti ? Quae soleo meis amicis.

DE MAURO.

E3_17 v.1 Parva puella seni, nescis quo foedere nupsit ?
 2 Non quo conjungi femina virque solent.
 3 Uxori dotem dixit, quam nec dare Maurus
 4 quam nec habet pactam, quam nec habere potest.

AD LECTOREM.

E3_18 v.1 Judicium petis ipse meo de carmine, Lector ?
 2 Scribo aliquando bene, et scribo aliquando male.

DE MAURO.

E3_19 v.1 Res nova, res eadem naso dignissima adunco,
 2 uxorem, dicam res nova, Maurus habet.

IN EUMDEM.

E3_20 v.1 Tu quod emis certa possis si vendere lege.
 2 Hanc, tibi quae nupsit, vendere, Maure, potes.

IN EUMDEM.

E3_21 v.1 Hactenus infelix vixisti, Maure, sed omnes
 2 te insanum ex misero factum in amore putant.
 3 Rident te pueri accepta insanisse puella,
 4 hanc deflent nympham quae tibi juncta seni est

IN EUMDEM.

E3_22 v.1 Uxorem jam Maurus habet, res non nova, sed jam
 2 uxorem nollet Maurus habere, novum hoc.

AD MATTH. MOPHAM.

E3_23 v.1 Te dubium Fortuna trahit, te fallit et ipsa
 2 omnibus in rebus insidiosa tibi.
 3 Te jugulant curae violentaque proelia pellunt,
 4 accumulat poenas terra relictas tuas.
 5 Pone graves curas, Fortunae finiet iram
 6 tempus, at interea quae tibi dura bibe.

IN AMUSUM.

E3_24 v.1 More meo postquam non pulchrum vivere credis,
 2 jam tibi sit pulchrum vivere more tuo.

IN FURCAM.

E3_25 v.1 Derides miseros, nec vis succurrere egenis,

2 et facis aeterno crimina digna rogo.
 3 Formae, fortunae, ingenio ne fide, paratur
 4 non his, quam speras, vita beata, bonis.

AD CLINIAM.

E3_26 v.1 Cara mihi fer opem, nostro succurre dolori
 2 aut me, ni faveas, mors cito dura rapit.
 3 Ni tu, nullus erit possit qui ferre salutem
 4 affecto cordi quod tuus urit amor.
 5 Ergo mihi fer opem, mea Clinia, Clinia, quaeso
 6 auxiliatrices porrige quaeso manus.
 7 Oppresso per te cordi medicina paretur,
 8 laedere quod cum vis, quodque levare potes.

IN NUGATOREM POETAM.

E3_27 v.1 Nugari vetitum est cunctis, cunctisque negatum
 2 mentiri, semper tu sed utrumque facis.

IN EUMDEM.

E3_28 v.1 Tu posthaec (moneo) nugari desine, vates,
 2 nam nugatores non decet esse pios.
 3 Nullam, si mala sunt, veniam tua scripta merentur,
 4 seu puer emittis, seu meditere senex.

AD CLINIAM.

E3_29 v.1 Clinia me bene amas, amor hic praecordia pungit,
 2 non me (ni bene amas, Clinia,) pungit amor.

IN BULIUM.

E3_30 v.1 Cum coleres docti vitam moresque magistri,
 2 vere virtutis classicus auctor eras.
 3 Mirari postquam coepisti turpia, res est
 4 nulla magis vitio sordibus apta tuis.
 5 Nil tibi conscius es, famae nil consulis, atque
 6 sus ut odoriferas despicias ipse rosas.
 7 Rideris, nihil est, cunctis traduceris, istud
 8 et nihil est, perdis te, nihil esse putas.
 9 Sentio quod de te quidam si dixero, Buli,
 10 flamma rapax, pergin ? Flamma parata tibi est.

AD SUSSANNAEUM.

E3_31 v.1 Nec sapiens astris dominabitur, astra nec illi,
 2 omnia sub pedibus nam Deus unus habet.
 3 Huic divi, huic homines, huic caeli sidera parent,
 4 qui ex nihilo, quae stant quaeque fuere dedit.

AD QUEMDAM POETAM.

E3_32 v.1 Quos Christus junxit, quos patria fecit amicos
 2 si quis disjungat, non homo, sed lupo est.

IN CENACUM.

E3_33 v.1 Credis te doctum, credis te, Cenace, Vatem,
 2 rhetora te credis, te quoque grammaticum.
 3 Consultum juris credis, jurisque peritum,
 4 quod credis verum credere nemo potest.
 5 Si sapias, de te nil tu tibi, Cenace, credes,
 6 nam falsus falsum credere cogit amor.

ANTO. CHAMBOURELLI MEDICI EPITAPHIUM.

E3_34 v.1 Hoc clausus tumulo est Antonius ille, medendi
 2 qui de tot vivens primus in arte fuit.
 3 Fata diu domuit, fato superatus iniquo,
 4 adfuit innumeris, defuit ille sibi.
 5 O quantum qualemque parat de morte triumphum
 6 mors, quae victoris contudit ossa sui.
 7 "Vicimus, ingeminat, nostrum nunc vicimus hostem,
 8 Jam nemo nobis, nemo nocebit", ait.
 9 Conatus toties nostros qui fregit et artes,
 10 irrita qui fecit spicula nostra, jacet.

ALIUD.

E3_35 v.1 Exuviis quod plena redis, victrixque recurris,
 2 quod cecidit tandem qui tuus hostis erat
 3 cur tantum exsultas ? Tua non victoria Mors est,
 4 arte tuas artes ludere num potuit ?
 5 Cessit naturae senio confectus inersque,
 6 et jactas telis occubuisse tuis ?
 7 Mentiris, Mors saeva, rapax tristisque nocensque,
 8 hoc facis ancillae quod proprium est dominae.

AD CANDIDUM.

E3_36 v.1 Jam mihi non tutum est ignotis fidere, cum sint
2 in nostrum a socio spicula missa caput.

AD HENRIC. FUXEUM LAUTRECUM AEGROTANTEM.

E3_37 v.1 Totus in incoepto versabar carmine, ad aures
2 cum venit ecce meas te recubare toro.
3 Tum subito obstupui, cessavi ludere versus,
4 abruptum per te Musa reliquit opus.
5 Nunc curae absumunt vatem, nunc taedia lenta,
6 deque gravi assiduo Musa dolore dolet.
7 Laeta prius leto fuerat, Lautrece, sed aula,
8 te affecto, affecta est, teque jacente jacet.
9 Aegrotant proceres, aegrotat Gallia, Rexque
10 rex tuus haud, nisi te sospite, sospes erit.
11 Collige te, sis forti animo, tibi consule, te ipsum
12 respice, nam parvo tempore sanus eris.

AD GULIEL. SCAEVAM, DE AEMILIANA.

E3_38 v.1 Vivere non poteris totus, ni magna tui pars
2 viveret in nostris Aemiliana modis.
3 Hoc defunctae igitur tribui quod nomine ficto
4 Sylvia viventi te tribuisse probat.
5 Sylvia quae telo dum te transfixit amoris
6 laudibus obstrinxit totum Heliconam suis.

IN CENACUM VERSIFICATOREM MALEDICUM.

E3_39 v.1 In me quod facias caenosos, Cenace, versus,
2 ipse malum tibi tu, non mihi, stulte, cacas.
3 Nil agis esse suem ut dicas me, teque Minervam,
4 Thrasymachum indomita mente superbus agis.
5 Cenace, jam meme frustra obscurare laboras,
6 caena bonis, tibi quae displicet, illa placet.
7 Quicquid agas vivent per saecula multa libelli,
8 tuque tibi laqueus, pestis et ignis eris.
9 Adlatras, rodis, laceras cum livide, perdis
10 ipse operam, nil me perfida lingua movet.
11 Qui sis, quid possis, nostras cur despicias artes,
12 tritum in tonstrinis, Cenace, et in triviis.
13 Nil ego te facio, metuo minus invide, nec sunt
14 in me quae ructas carmina digna legi.
15 Judice te mea sunt Epigrammata, Cenace, vana,
16 iudicio inveniar fac levis ipse tuo.
17 Ut tamen accipio, doctas mea venit in aures

18 Clinia, carminibus culta puella meis.
 19 Non me debueras versu irritare tacentem,
 20 si in te iudicium consiliumque fuit.
 21 Nec me debueras stultis lacerare libellis,
 22 in te aliquid rectae si rationis erat.
 23 At postquam immeritum nulla ratione laccessis,
 24 sentiet esse animum rustica Musa mihi.
 25 Jure quidem, quando verbum vetus inquit, inultum
 26 non remanet, cuiquam si male quid facies.

IN EUMDEM.

E3_40 v.1 Laeter an indoleam quod carmina nostra reprendis ?
 2 Quodque meum pingis tardius ingenium ?
 3 Non equidem possum mihi non gaudere poema
 4 auribus impuris displicuisse meum.
 5 Nam ut non ulla potest laus gratior esse Poetae,
 6 quam quae laudati prodit ab ore viri ;
 7 sic oneri esse solent docto, quae tradit honori
 8 indoctus, qualem te tua scripta probant.
 9 Rumperis, insanis, crucias te ipsumque peruris,
 10 et quae in me torques, Cenace, ut unda fluunt.
 11 Te flocci faciunt docti, te livide pendunt
 12 vili nec mihi, sed jam tibi lingua nocet.
 13 Desine, vel faciam rumpantur ut ilia teque
 14 ipse brevi faciam carnificem esse tui.

IN EUMDEM.

E3_41 v.1 Vel sus, vel caenum, vel simia Cenacus ille est
 2 vel saxum, monstrum hoc quis putat esse hominem ?

IN MAURUM.

E3_42 v.1 Uxorem quid amas quae te non diligit ? Illa
 2 te in medio vellet, Maure, videre mari.

IN CARPAURIUM CAUSIDICUM.

E3_43 v.1 Causidico male olent nares culusque manusque,
 2 longe sed tribus his os tibi pejus olet.

IN QUEMDAM POETAM MALUM.

E3_44 v.1 Vis imiter versus, si quos facis ipse Poeta,
 2 non licet id nobis quod tibi, da veniam.

DE CARPAURIO.

E3_45 v.1 Stultos atque asinos Carpaurius hostis in ore
 2 semper habet, suntne haec munera Causidici ?
 3 Quid sibi vult nescis ? Jam quaerere desine : stultus,
 4 atque asinus, solum quos amat, hos loquitur.

IN ORNUM JUDICEM.

E3_46 v.1 Judice te bonus est meruit qui flagra necemque,
 2 qui nil commeruit, judice te malus est.
 3 Orne, malos mores non tantum ad sidera tollis,
 4 verum etiam puris semper obesse cupis.
 5 Quod facis hoc animo meditare et respice te ipsum
 6 esse alia nobis condicione datum.

IN MAURUM.

E3_47 v.1 Quod stultos mores carpam imperterritus et quod
 2 audacter de te liberiusque loquar,
 3 Maure, doles. Doleas licet ipse gemasque crepesque,
 4 ingenium crucient ut mea scripta tuum.
 5 Non prius obscurum cessabo carpere nomen
 6 stultitiamque tuam consiliumque tuum,
 7 quam sapere incipias. Sapio (inquis), nescio, Maure,
 8 nec credo, nisi qui desipit ille sapit.

IN EUMDEM.

E3_48 v.1 Te Croesum jactas, negat hoc vicinia, mappa
 2 tergendis manibus vix satis apta domi est.

IN CARPAURIUM.

E3_49 v.1 Quod macer, exsuccus, siccus Carpaurius, et quod
 2 pallidus, hoc faciunt uxor et invidia.
 3 Exsugunt quicquid macilento in corpore succi est,
 4 haec corpus terit, ast corpus et illa animum.
 5 Una parte premit conjux, premit altera eumdem
 6 livor edax, jam non quaerite cur macer est.

IN EUMDEM.

E3_50 v.1 Leges scit sanctas Carpaurius : excipe solam
2 legitimum prohibet quae violare torum.

CAR. CEYTERII BURDIG. EPITAPHIUM.

E3_51 v.1 Ergo obiit patriae spes altera spesque parentum,
2 ergo obiit legum qui studiosus erat.
3 Quis juvenem non flet, quemquam si flere necesse est,
4 frigida quem misere Mors rapit ante diem ?
5 Nunc lacrimas cessas, cessas nunc fundere questus,
6 Burdegala ? Hoc tibi jam nonne carere grave ?
7 Quam gravis illa tibi nescis jactura videbis
8 posthaec huncque (scio) consenuisse voles.
9 Forma, opibus pauci, nulli probitate secundus
10 vivere per superos si licuisset, erat.
11 Sed praeverterunt completo haud tempore fata,
12 fata quibus nos vult subdere colla Deus.

AD BINETUM BELLOVACUM.

E3_52 v.1 Fidere principibus res est male tuta, Binete,
2 fidere sed soli res bene tuta Deo est.

DE TABULA, UBI PICTA EST POETAE CUJUSDAM IMAGO.

E3_53 v.1 Tu quid imago facis ? Pingo, vel pingere conor.
2 Ut pingas, desunt vivida membra tibi.
3 Exprimo praeclari faciem pectusque Poetae.
4 Cujus ? Nonne satis quod petis ipsa loquor ?
5 Nil aliud vivus facit is quam quod facis ? Illud
6 quod taceo loquitur, quod simulo illud agit.
7 Esse putas mutum, Christus cui semper in ore est ?
8 Qui pueros format, nec sinit esse rudes ?
9 Non ita, sed vellem coleret tum pectore, multus
10 quam verax ficto semper in ore Deus.

IN CENACUM.

E3_54 v.1 In me cum mittis quos scripsi, Cenace, versus,
2 tu mea non carpis scripta. Quid ergo ? Rapis.

IN EUMDEM.

E3_55 v.1 In te quod scripsi turbaris, Cenace, scribo

2 ad te, nunc vires quaeso resume tuas.

IN OFERNUM.

E3_56 v.1 Qui sis, turpe scelus me scribere cogit, Oferne.
2 Femineo es generi vir, mulierque viris.

AD CLINIAM.

E3_57 v.1 Nota prius nulli vivebas, Clinia, cunctis
2 cognita sed versu candida nympha meo es.
3 Te nunc mirantur proceres, te Gallia tota,
4 nullaque non celebris patria te celebrat.

IN CARPAURIUM.

E3_58 v.1 Non amat humanas artes Carpaurius, unde hoc ?
2 Humanum possent reddere causidicum.

AD CLINIAM.

E3_59 v.1 Stultus, et insanus quisquis sit creditur ille
2 qui studuit nostram dissociare fidem.
3 Sive fuit Gallus, seu Hispanus, sive Britannus,
4 stultus, et insanus vel puto nullus homo est.

CLINIA DE SEIPSA.

E3_60 v.1 Ut meus urat amor, possum compescere flammam
2 nutrio et exstinguo cum volo cumque opus est.

IN QUEMDAM RIDICULUM POETAM.

E3_61 v.1 Cum rides Vatem versus qui scripsit eosdem,
2 quos tu, credo, doles, quod sapis hunc sapere.

IN EUMDEM, QUI SE PUERUM DICEBAT.

E3_62 v.1 Te puerum ad pueros cum carmina scribere dicis,
2 hoc vis mentiri quod facies loquitur.

AD EJUSDEM IMAGINEM.

E3_63 v.1 Non mirum quod tu nullo non tempore muta es,
 2 nam foedum semper cujus es os loquitur.
 3 Dii vellent in te conversus ut esset imago,
 4 qui nos offendit garrulitate sua.
 5 Aut saltem facerent loquereris, et ipse taceret,
 6 in linguam tunc cum non habet imperium.

DE SCULPTORE IMAGINIS EJUSDEM.

E3_64 v.1 Docta manus faciem potuit quae sculpere Vatis,
 2 non potuit mentem sculpere docta manus.

DE EODEM, ET SUA IMAGINE.

E3_65 v.1 Quid sculpta Vates differs ab imagine, quaeris ?
 2 Nil tam dissimile est, tam tibi nil simile.
 3 Exprimit os, nasum, vestes, haec computat annos,
 4 exprimit haec chartas, exprimit ipsa stylum.
 5 Ergo quid est dispar a me mea quaeris imago ?
 6 Tu loqueris semper, semper at illa tacet.

IN EUMDEM FURACEM QUI ALIUM FURTI ACCUSABAT.

E3_66 v.1 Cum tua me dicis furari carmina, rides.
 2 De praeda praedam sumere, num rapere est ?

IN EUMDEM.

E3_67 v.1 Non sunt quae emisi tua carmina, sed mea, nam tu
 2 quae facis, haec multo sunt meliora meis.

IN EUMDEM.

E3_68 v.1 De te nil dici, de me vis dicere multa,
 2 quanti libertas venditur illa ? Placet.

IN EUMDEM.

E3_69 v.1 Subtilis sit multum opus est cornicula, quae artem,
 2 qua praedatorem fallere possit, habet.

IN EUMDEM.

E3_70 v.1 In nostro ex nugis si quaedam abstracta libello,
2 tu mea redde mihi, tu tibi sume tua.

IN EUMDEM.

E3_71 v.1 Orbis delicias fugis Poeta,
2 audes dicere te tamen Poetam
3 a Gallos rediisse Laureatum.
4 Hoc est hoc nimium sibi placere.
5 Hoc est inuide factitare fucum.

IN EUMDEM.

E3_72 v.1 Componis versus quos jam sibi vindicat alter,
2 pace tua liceat dicere vera, nego.

IN EUMDEM, QUI SIMULACHRORUM OSOR SE SCULPI JUSSIT.

E3_73 v.1 Qui simulacra Deum spernit sculpsitque figuram,
2 se divum Divis num magis esse putat ?

IN EUMDEM.

E3_74 v.1 Qui ex facie et vultu tantum te, zoile, novit
2 te putat ingenium vatis habere pii.
3 Qui propius vitam et mores inspexerit, inquit,
4 vipereum in pulchro corpore habere animum.

IN EUMDEM.

E3_75 v.1 Subreptos falso quereris tibi, zoile, versus,
2 jam tibi vis credi stulte poeta ? Doce.

IN EUMDEM LAUREATUM.

3 Ambitio docet helleboro tibi, stulte Poeta,
4 esse opus, invasit nam caput illa tuum.

IN EUMDEM.

E3_76 v.1 Scribas, inuide, cum malum poema
2 jactas, inuide, te bonum poetam
3 omni et laurea et omnibus coronis

4 dignum, nonne facis nimis superbe ?

IN EUMDEM.

E3_77 v.1 Si meus est nugis consutus, zoile, cedo
2 et totus vero jure liber tuus est.
3 Si meus est verax nugaris, zoile, falsi
4 te peragit sceleris perfida lingua reum.

IN EUMDEM.

E3_78 v.1 Innocuis verbis te ludere carmina rebar,
2 falsus sum, crudum virus ab ore vomis.
3 Siccine mutavit mentem gens barbara, ut in te
4 excrescat, victa jam pietate, dolus ?
5 Non impune feres si quos tua pagina damnet,
6 danda tibi ratio garrulitatis erit.

IN EUMDEM DETRACTOREM.

E3_79 v.1 Non doleo nostrae famae quod detrahis, at me
2 hoc male habet, quod te, garrule, nemo probat.

AD CHOMARDUM.

E3_80 v.1 Bilbilis est vestra quondam si lectus in Urbe
2 quo primum emisit scripta Poeta die.
3 Bilbilicus non sim, magni nec nominis auctor,
4 emissos versus vestra Vienna legit.

AD EUMDEM, SCULPTURAM NON VERSUS PERIRE.

E3_81 v.1 Numquam divini morientur carmina Vatis
2 sculptoris, vivunt, ut moriatur opus.

AD BOCHET. RUPELLANUM.

E3_82 v.1 Per genium Musae, per numina sancta, potentes
2 per superos, carmen juro placere tuum.

AD CORNELIANUM.

E3_83 v.1 De te quid fieret rogitas, si maximus essem
2 rex : fiet quod vis, elige, dum fuero.

AD A. PAULUM TOLOS.

E3_84 v.1 Sponte mihi studium promittis, sponte favorem.
 2 Jamque opus est studio jamque favore, fave.
 3 Et si (quod non vis) precibus vis, Paule, moveri,
 4 te ex animo, ut possum, Paule, rogare, rogo,

AD DOLETUM, DE IAMBIS.

E3_85 v.1 Ad rabiem, laqueum, deducunt carmina, in hostem
 2 si qua Lycambaeo tincta cruore jacis.

AD P. CAPRUM RUPELLANUM.

E3_86 v.1 Divitiis, forma, luxu, vel Daemonis arte
 2 (quod facis) ipse cave ne capiare, Caper.

DE PUELLA, QUAE PLUS SATIS STUDET CORPORI.

E3_87 v.1 Dum nimis indulges formae, qui te videt audi
 2 quid dicat : scortum hoc vendere membra cupit.

AD MATTH. MOPHAM.

E3_88 v.1 Uxore ut careas, natis caroque parente,
 2 aque domo errantem Mars truculentus agat.
 3 Uxorem, natos animo carumque parentem,
 4 atque domi rarum quod fuit ante, tenes.
 5 Fer patiens, ludos solet hos sors ludere cum vult,
 6 omne solum forti patria terra viro est.

IN TARDUM VERSIFICATOREM.

E3_89 v.1 Non facere est versus, versus non pingere belle,
 2 annis sex carmen vix dare dimidium.

JO. CHUFFETI REMEN. EPITAPHIUM.

E3_90 v.1 Dicere quis poterit quantum jactura dolenda est
 2 ejus, quem brevis haec continet urna, viri ?
 3 Hic poterat patriae summum decus addere, gentem
 4 artibus hic poterat nobilitare suis.
 5 Nam miranda hominis virtus, par gratia, recti

6 verus amor, prudens simplicitasque fuit.
 7 Consilium illius fidum, mens candida, corpus
 8 formosum, constans et sine labe fides.
 9 Sed dum completo studiorum tempore, laude
 10 cum summa, patriam cogitat ille domum.
 11 Invidisse Urbi fata impia fata videntur
 12 et patriae, a patria dum procul hunc rapiunt.

ALIUD.

E3_91 v.1 Aspiciens belli durissima tempora, dixit
 2 Chuffetus : "Cupio pacis amore mori."

ALIUD.

E3_92 v.1 Chuffetum si forte aliquis post ultima fata
 2 nosse cupit, spectet quod breve carmen habet.
 3 Huic genus, et vitam dedit Urbs antiqua Remorum,
 4 huicque Tolosa pium jus dat, et ipsa necem.
 5 Cum daret ille operam juri, cursum invida rupit
 6 mors, quae viventi non satis aequa fuit.
 7 Sed licet in primo, viridi quoque mortuus aevo,
 8 calluit ante obitum jus quod utrumque docet.
 9 Hancque libens posuit non justo tempore vitam,
 10 vel cito, vel sero qui positurus erat.

AD JO.TRUCHIUM, DE FABRO, ZAZIO, ERASMO.

E3_93 v.1 Tres periisse gemis, quos longior abstulit aetas ;
 2 cessa : immortales, cum morerentur, erant.

ALIUD.

E3_94 v.1 Lumina quod terrae pergunt ad lumina caeli
 2 trina, tribus cedunt numina numinibus.

ALIUD.

E3_95 v.1 Tres uno vivunt, moriuntur tempore eodem,
 2 haud quibus in terris doctior alter erat.

AD ORNUM.

E3_96 v.1 Se fortem firmumque putat sanumque alacremque,
 2 in proprio mortem qui gerit, Orne, sinu.

IN CASPRUM.

E3_97 v.1 Utere, te moneo, nec abutere, Casper, amico,
2 non sic, parce mihi, verus amicus amat.

AD FRANCISCUM, CAROLUM, CHRISTOPHORUM CHALANCONIOS.

E3_98 v.1 Fratres unanimi, omnibus benigni,
2 electi juvenes et eruditi,
3 Arvernae patriae nitor decusque,
4 exemplum juvenum senumque imago.
5 Tres fratres numero, ast amore solus.
6 Tres, inquam, sacrum Apollinem colentes.
7 Quos Textor bonus et pius Magister
8 ille, ille optimus omnium, tenellos
9 formavit pueros et educavit.
10 Tres quos plus oculis suis amavit,
11 tres quos pectore plus amat colitque,
12 tres quos nunc procul a domo profectos
13 vos desiderium tenet sacrarum
14 legum, tres quibus est odor suavis
15 aequi, tres quibus optima est voluntas,
16 aetas optima, et optimi parentes,
17 mores optimi et optimus Magister.
18 Tres queis omnia plus satis redundant
19 quae reddunt hominem bonum et beatum.
20 Quis jam tres negat esse ter beatos ?
21 Quis jam tres tribus hac beatiores
22 vobis fratribus esse in urbe credit ?
23 Fratres unanimos, probos, benignos,
24 quis non iudicio suo putabit ?
25 Electos juvenes et eruditos
26 quis vos iudicio suo negabit ?

AD CAROL. V. FUGIENTEM A CASTRIS.

E3_99 v.1 Plus ultra nuper dicebas, Carole, sed Mars
2 plus retro, vel te dicere "Siste" jubet.

DE FLORA, ET CALVA.

E3_100 v.1 Ducere nec Flora cupio, nec nubere Calvae.
2 Plus satis haec juvenis, plus satis illa anus est.

AD BOYSSONEUM.

E3_101 v.1 Non te carminibus tacebo nostris
 2 dum vitam nobis Numina sancta dabunt.
 3 Illustrare tuum meo labore
 4 nomen contendam teque fuisse sciet
 5 doctum posteritas et eruditum,
 6 tete ut divinum saecula nostra colant.
 7 Illos eximios tuos probabit
 8 conatus, quisquis carmina pauca leget.

AD DEUM PRO PACE.

E3_102 v.1 Des pacem, o bone Rex, Regum Rex maxime, nam tu
 2 ni reddas nobis reddere nemo potest.

AD CAROL. CHALANCONIUM.

E3_103 v.1 Totis ni cupiam diebus esse
 2 tecum, Carole, noctibusque totis
 3 nolim Numina nunc mihi favere.
 4 Tantum nam capior tuo pudore,
 5 tantum me vitrei trahunt ocelli,
 6 tantum me rosea excitant labella,
 7 tantum colloquium tenet suave, ut
 8 jam nocte, et mihi sit die beatum
 9 tecum vivere, semper et jocari.
 10 Sed me teque alio vocant severae
 11 leges, quae tibi nec mihi relinquunt
 12 punctum temporis ; abnegant quieti
 13 longam jura moram, locum jocisque
 14 nullum, Carole, vel sinunt pusillum,
 15 tollunt otia, posse fabulari
 16 vix dant, namque hominem pigrum haud requirunt.
 17 Sed si dent vacuum labore tempus
 18 ullum umquam, simul et locum quieti,
 19 totis ni recreer diebus atque
 20 tecum, Carole, noctibus, juvare
 21 nolim Numina nec mihi favere.

DE SEIPSO FEBRE SAEVIENTE.

E3_104 v.1 Hei mihi, cur minuit vires mentemque perurit
 2 alterna febris, quae itque reditque die ?
 3 Cur premor assiduo ? Nec me lassare quiescit ?
 4 Cur nimis in nostro est ingeniosa malo ?
 5 Cur misere affectus jaceo ? Cur membra sopore
 6 fracta carent ? Cinis est qui fuit ante cibus ?

7 Cur capiti desunt vires ? Cur poplite nondum
 8 firmato, recubans nocte dieque premor ?
 9 Cur vigor ille animi, cur gratia corporis illa
 10 illa abiit ? Periiit cur mea dexteritas ?
 11 Cur mea quae fuerant roseo illustrata colore
 12 labra tremunt cana pallidiora nive ?
 13 Cur corpus sine lege meum est ? Cur pellere morbum
 14 non valet admotis ars medicaminibus ?
 15 Anne ego commerui tantum sufferre furorem ?
 16 Anne fuit tanti mens mea causa mali ?
 17 Febris parce tuos in me torquere calores
 18 deprecor, atque aliam tu tibi quaere domum.
 19 Parce iterum clamo, contendo et voce, furori,
 20 saevitiaeque velis constituuisse modum.
 21 Sed magis haec miserum pergit torquere, nec ulla,
 22 eheu, quantumvis dulcia verba movent.
 23 Illa intermissos iterum in me concitat ignes,
 24 illa novis pulsat vulnera vulneribus.
 25 In formas me mille rapit, nunc territat illa,
 26 nunc cito me cruciat, nunc mihi sera nocet.
 27 Occupat illa artus graciles pallentiaque ora,
 28 occupat illa manus, occupat illa pedes.
 29 Solatur nunc exanimem, nunc prorogat horam,
 30 nunc forti miserum me jubet esse animo.
 31 Nunc mihi blanditur, nunc nunc me fortius urget,
 32 et casses, tunc cum fingit abire, parat.
 33 Nunc me frigus agit totum, nunc totus aduror,
 34 arbitrio, imperio me regit illa suo.
 35 Dum furit atque jubet summos sentire calores,
 36 vix possum somni, vix meminisse cibi
 37 haud ullam studiis sinit impetrare quietem,
 38 illa preces, gemitus despicit illa meos.
 39 Nec prosunt hominum sensus, nec pharmaca, namque
 40 febris Paeonia non superatur ope.
 41 Quid faciam Christum pura nunc mente rogabo,
 42 haec sola e multis tuta relicta via est.
 43 Quam nequeunt homines pellet de corpore febrim,
 44 affecto auxilium cum volet ipse, dabit.

IN CARPAURIUM.

E3_105 v.1 Cum causas agis et docere leges
 2 tentas, semper in ore habes farinam
 3 et panem, tibi quis patrem negabit
 4 pistorem ? Nisi te tuum genusque
 5 qui novit ? Sine jam loqui farinam,
 6 candelas faciunt tibi parentes,
 7 ut discas melius docere leges.

EPITAPHIUM PAEDICONIS OFERNI.

E3_106 v.1 Paedite jam tristesque sonos emittite culi,
 2 qui jacet hic vestri foedus amator erat.
 3 Dum faceret stuprum, stuprum pateretur et ille
 4 in vos cunnorum transtulit officium.

DE MAURO.

E3_107 v.1 Ut se ditaret Maurus faceretque potentem
 2 grammaticus, Gallo credidit Ausonio.
 3 Grammaticos canonas excedit, jusque docere
 4 aggreditur, sed non desinit esse miser.
 5 Dum videt hoc Maurus, civilia jura relinquit,
 6 atque iterum assumpsit Grammaticos canonas.

AD PEROTTAM FRATRIAM.

E3_108 v.1 Ad vos me revocas, retinent studia ardua legum,
 2 nec fieri quod nunc expetis ipsa sinunt.
 3 Exspectes, fer, sustineas, tibi, cara Perotta,
 4 quod petis hoc Christus tandem aliquando dabit.

AD ALACREM.

E3_109 v.1 Quo esses in me animo, satis ipse
 2 olim multis tu mihi signis
 3 declarasti ; non tamen umquam
 4 clarius, hoc quam tempore, quo cum
 5 Mauro bellum Grammatico, de
 6 re nihili grave scilicet illud
 7 a me gestum est. Nunc pede pergas
 8 quo coepisti teque alacrem fac
 9 praestes. Fiet tempore parvo, ut
 10 Maurum paeniteat nocuisse
 11 nobis garrulitate senili.
 12 Maurum illum, inquam, stultitiam qui
 13 non novit simulare loco, sed
 14 re vera omnibus exhibet horis.

AD PAULUM PONTIFIC.

E3_110 v.1 Roma prior multum debebat Regibus atque
 2 consulibus, per quos haec caput orbis erat.
 3 Sed plus posterior tibi debet, Paule, nec illud
 4 quod facis in tanta luce latere potest.
 5 Illi ditarunt, cinxerunt moenibus Urbem,

6 auxerunt populis, legibus, arce, sacris.
 7 Praeclara haec fateor, sed das majora, pudica est
 8 per te, Roma tibi quis meliora dabit ?

IMITATIO MARTIALIS. AD GYR. RUFFUM.

E3_111 v.1 In trivio quidam lacerum me, Ruffe, poetam
 2 inspicit et digito subnotat atque oculis.
 3 Accedit propius, maestum me cernit, at ille,
 4 "Tune es Vulteius ? Tune Poeta?" rogat.
 5 Subrisi nec quem me dixerat esse negavi.
 6 "Cur igitur, dixit, tam tua trita toga est ?"
 7 Huic ego cur esset toga tam mala saepe roganti
 8 respondi : "Quia sum, Ruffe, poeta malus.
 9 Ruffe, tuo eveniant ne saepius ista poetae,
 10 saepe bonas posthaec tu mihi mitte togas."

AD G. MARULLUM MEDICUM.

E3_112 v.1 Audio quod de te non possum credere, vitam
 2 reddere qui poteras te, potuisse mori.

IN VERSIFICATOREM INEPTUM.

E3_113 v.1 Qui celebras purum vitioso carmine fontem,
 2 tu nitidam foedo stercore tingis aquam.

IN POETAM MENDACEM FUGITIVUM.

E3_114 v.1 In me scripsisti falsum, me scribere verum
 2 de te non grave sit, fur, fugitivus homo es.

AD MALEDICUM POETAM.

E3_115 v.1 Quisquis carpere contumelioso
 2 versu dulce sibi et putat beatum
 3 lingua sordidula asperoque morsu,
 4 nomen laedere fervidis iambis
 5 et docti et lepidi et probi sodalis.
 6 Quem plus luminibus suis amare
 7 debet, commeruit rotas crucemque ;
 8 ori et falsidico quod imprecatur
 9 multis versibus ille Martialis,
 10 vivit cujus opus magisque vivet.
 11 Poenarum genus omne quod Poeta
 12 hosti carminibus vovet nocenti

13 ficto nomine quem vocavit "Ibim",
 14 aut si quid gravius nocentiusque est.
 15 Non illud tamen imprecor, sed opto ut
 16 te tandem videas, scias, velisque
 17 mores linquere quos habes protervos.
 18 Nec sit dulce tibi, nec id beatum
 19 versu laedere contumelioso,
 20 et doctum et lepidum et probum sodalem.

IN EUNDEM.

E3_116 v.1 Ad nos nescio quis Poeta nuper
 2 larvatus rediit, parum canorus,
 3 suadet se tamen esse laureatum.

JAC. MINUTII, PRIMI PRAESIDIS TOLOSANI, EPITAPHIUM.

E3_117 v.1 Qui decus urbis erat primum, qui prima Senatus
 2 gloria, purpureis primus in ordinibus,
 3 dotibus ingenii cunctis ornatus et alta
 4 ingenuae mentis qui ratione, jacet.
 5 Heu, jacet, ille jacet, jacet ille Minutius, unus
 6 dux aequi, et recti Justitiaeque parens.
 7 Exstinctum est lumen praefulgens, Gallia defle,
 8 nam spoliata tuo Sole, minuta tuo es.
 9 Interiit vox dura tibi Respublica, luge,
 10 atque tuum defle, maesta Tolosa, patrem.
 11 Utraque lingua gemat, jus ploret utrumque Minutum,
 12 et schola tota suo maereat orba patre.
 13 Flete, sacerdotes, plebs defle, Curia defle,
 14 jam lacrimis nullus debet inesse modus.
 15 Ex hoc, qui fuerat vere Virtutis amator,
 16 discite rite omnes vivere, rite mori.
 17 De subito occasu tam docti Praesidis omnes
 18 discite vos homines somnia et esse nihil.
 19 Aeternum nil esse, et ab hoc jam Numine, cuncti
 20 discite mortales Numina posse mori.

ALIUD.

E3_118 v.1 Heu fatum nimis, et nimis sinistrum,
 2 heu fatum Patriae nimis molestum,
 3 heu fatum merito bonis dolendum.
 4 Quo ille est, ille Minutius minutus,
 5 patrem Patria quem suum vocare
 6 (si quemquam) poterat. Boni patronum
 7 omnes. Quem literae politiores
 8 tutorem. Schola quem pium Parentem.

9 Sanctum denique quem Tolosa Numen.
 10 Quid dicam ? Nequeo explicare verbis
 11 quantam Gallia in optimo Minuto
 12 jacturam faciat ; sed istud ausim
 13 praeclarum edere lumen imminutum,
 14 illo quo cecidit die Minutus,
 15 heu fato nimis, heu nimis sinistro.

IN CARPAURIUM.

E3_119 v.1 Non amo causidicos qualis Carpaurius ille,
 2 qui vana lassat garrulitate forum.

DE SEIPSO, ET CLINIA.

E3_120 v.1 Dum vixit, vivit, vivet mea Clinia, mentem
 2 haec tenuit, tenet haec corque tenebit heri.

IN CARPAURIUM.

E3_121 v.1 Res populi tractas, populus rem conjugis, et sic
 2 acceptum pensat officio officium.

IN EUMDEM.

E3_122 v.1 Accipere ipse soles semper, tua femina numquam,
 2 si numquam capiat, quid solet ipsa ? Dare.

IN EUMDEM.

E3_123 v.1 Improba lingua tua est, Carpauri, et noxia lingua est,
 2 perfida lingua tua est, lingua dolosa tua est.

IN VENEFICUM, QUI DELPHINO VENENUM PROPINAVIT.

E3_124 v.1 Quae te, quae mala mens furorque qualis
 2 in tantum impulit, o sceleste crimen,
 3 ut Regis, propria manu, venenum
 4 misceres puero ? Tuis putasti
 5 Francisci, insidiis dolisque Regnum
 6 frustra perdere, Galliae veneno
 7 spem primam fateor tuo necasti, at
 8 regnum perdere non potes veneno.

IN EUMDEM.

E3_125 v.1 In te, qui innocuis malum venenum
 2 propinas, mala colligam venena.
 3 Et quo supplicio cupis perire
 4 justos, te miserum remunerabor.

IN INVIDUM.

E3_126 v.1 De nostro frustra macrescis nomine, vivet
 2 invide, tormentum nec tibi majus erit.
 3 Invidia semper torquebere, semper et ira
 4 atque furore, animum nulla catena reget.
 5 Me, nolente sequens vixisse fatebitur aetas
 6 invidia, at miserum te mala fata manent.

AD CHOMARDUM CASTELLUM ET VILLARIANOS.

E3_127 v.1 Vivamus rogo vos, mei sodales,
 2 ecce illa, illa monet dies amice ut
 3 vivamus, valeamus et bibamus,
 4 Linquamus studium gravesque curas.
 5 Jocose, lepide, bene ac beate
 6 vivamus, valeamus et bibamus,
 7 ecce illa, illa monet dies, amice
 8 vivamus rogo vos, mei sodales.

AD EOSDEM INTER CENANDUM.

E3_128 v.1 Jam non est opus, o mei sodales,
 2 jam non est opus id rogare, laete ut
 3 vivamus. Satis ac satis beatam
 4 vitam vivimus, hac suaviorem
 5 quam Regum quibus apparatus cena est,
 6 recte omnes bibimus, valemus omnes
 7 recte, concoquimus bene, haud timemur
 8 atri et viperei dolos veneni.
 9 Vili pendere, vel putare parvi
 10 omnes possumus, inquinare tentat
 11 cenam nemo bonam atque delicatam
 12 quam nos hoc facimus die sodales.
 13 Quid multis ? Melius Deis, Deabus
 14 ipsis vivimus, ipse non negabit
 15 summus Juppiter id nec ipsa Juno.
 16 Vinum nectare dulcius beato,
 17 caelesti ambrosia cibus paratur
 18 longe dulcior, approbante lingua.
 19 Quare non opus est rogare laete ut

20 vivamus. Quibus est nihil negatum
21 vivunt non male, sed bene ac beate.

AD NIC. BRITANNICUM.

E3_129 v.1 Quis mundum similem neget Lyaeo ?
2 Delebant animos gravesque solvunt
3 curas, blanditiis suis inescant
4 ac desiderio sui perurunt.
5 Quid ? Sensus facit ebrios uterque.
6 Hoc tantum duo discrepant in uno,
7 ad tempus sepelit sopore corpus
8 Bacchus, verum animam dolore Mundus
9 pressam in perpetuas trahit tenebras.

AD DOLETUM.

E3_130 v.1 Vanus nescio quis brevi poeta
2 factus tempore, garrulus levisque
3 annis aestimat optimum Poetam, et
4 incultis, male versibusque natis
5 et nil non vetus esse rite dictum,
6 aut factum putat, aut putat futurum
7 posthaec. Nil loquitur nisi hoc vetustum,
8 nec cantat nisi mortuos Poetas,
9 antiquos adeo, priusque saeculum
10 miratur, veneratur atque honorat,
11 ornatum nihil, et nihil solutum,
12 persectum nihil, et nihil politum,
13 nervosum nihil, et nihil sonorum,
14 limatum nihil, et nihil receptum,
15 nasutum nihil, et nihil facetum,
16 urbanum nihil, et nihil severum,
17 divinum nihil, et nihil beatum,
18 immortale nihil, nihil perenne.
19 Jurat denique nil suo disertum,
20 et doctis fieri auribus virorum
21 dignum tempore, teste vel Minerva,
22 quod cum vel minimo velit libello,
23 vel nugis bene comparare possit
24 priscorum : novus et novos Poetas
25 deridet, rigidumque agit Catonem.
26 Se praebet tetricum malus Poeta
27 lectorem nimis, et nimis severum
28 censorem, criticum nimisque durum.
29 Suspectos sibi respuit recentes
30 scriptores, fatuos, rudes, puellos,
31 viles, rusticulos, leves, ineptos
32 appellat. Tamen omnium Poeta est,

33 qui sunt, pessimus et minus probatus
 34 aetas postera quem (rogo) hunc putabit ?
 35 Dignus (iudicio meo) cacator
 36 qui numquam soleas togamque mutet,
 37 qui vappam bibat et vetus venenum,
 38 qui semper putribus cibis moleste
 39 vescatur, veterum et gerat matellam,
 40 attritasque ferat miser lacernas.
 41 In quem tu veteres vibres Iambos.
 42 Hoc num munere credis esse dignum ?

IN RUFFAM.

E3_131 v.1 Ut te ipsam serves me ipsum vis perdere, qui te
 2 hioc docuit, docuit perdere, Ruffa, duos.

IN MATELLUM MENDACEM.

E3_132 v.1 Non verum est, vel tu mentiris, nonne, Matelle,
 2 res eadem ? Sic est. Id tamen ipse negas.
 3 Non verum est dico, toleras, dum dico, Matelle,
 4 mentiris, ferre hoc durum onus esse putas.
 5 Jam neutrum dicam, sed non ita, parce, Matelle,
 6 sit venia dictum, pace, Matelle, tua.

AD CLINIAM.

E3_133 v.1 Deficiunt vires, nequeo dormire, quid obstat ?
 2 A vultu nam te sentio abesse meo.

AD EAMDEM.

E3_134 v.1 Aegrotat stomachus jejunos, Clinia, quem ni
 2 latrantem pascas mox rabiosus erit.

IN MAURUM.

E3_135 v.1 Uxorem tibi dote comparasti
 2 frustra, namque latus senex utrumque ut
 3 rumpas, nil facies tuae puellae.
 4 Numquam mentula vocibus movetur.
 5 Molli nec digito excitata surgit.
 6 Quid tecum tua jam facit Puella
 7 a te (dic mihi) quae redempta tanti est ?

IN EUMDEM.

E3_136 v.1 Quaeris quem pariet marem puella.
2 Vis me dicere, Maure ? Morionem.

IN EUMDEM.

E3_137 v.1 Regum Maurus ait se scribere proelia versu,
2 mentitur. Scribit proelia gesta domi.

IN EUMDEM.

E3_138 v.1 Ipse diu ut vivas uxorem ducis, at illa
2 (ut fertur) vellet te cito, Maure, mori.

IN EUMDEM.

E3_139 v.1 Cum tibi Nympha datur, mutant elementa figuram,
2 nam patitur gelidam fervidus ignis aquam.

AD LABEUM MORBO HISPANICO LABEFACTATUM.

E3_140 v.1 Voce tua, quodque ore tuo sis semper abusus,
2 mutatam formam vocis, et oris habes.

AD CLINIAM.

E3_141 v.1 Visus sum te hodie videre solam,
2 in molli ac tepido toro jacentem
3 mecum, Clinia. Non rogare debes
4 quam gratum istud erat mihi et suave,
5 quam dulce et fuit, et fuit beatum.
6 Tum nil, Clinia, cum mihi abnegares.
7 Sed vana haec fuit et brevis voluptas,
8 nam post gaudia languor est secutus.
9 In nudo sine te toro, atque inani
10 cum me frigidulum jacere sensi.

AD LECTOREM.

E3_142 v.1 Nil moror aut risum vulgi aut convicia Plebis
2 indoctae, doctis sat cecinisse mihi est.

IN MAURUM.

E3_143 v.1 Culcitra quid prodest, quid prosunt stragula Mauro ?
2 Congelat uxoris membra torumque senex.

AD JAMMETIUM TEXTOREM.

E3_144 v.1 Amant te ; scio, diliguntque multi
2 multum. Nemo tamen tibi placere,
3 nemo candidius tibi favere
4 uno me studet. Id negas ? Probabo.

ROBERTI MARCHIANI EPITAPHIUM.

E3_145 v.1 Astra petit Martis soboles divina volensque
2 dat victas Morti, Marte vocante, manus.
3 Vulnere non hominum, certamine prosper in omni
4 non gelidae Mortis vulnere victus obit.
5 Non cecidit saevo percussus fulmine divum.
6 Ergo quid ? Hunc dederat Juppiter, hunc repetit.

ALIUD

E3_146 v.1 Hoc cumulo prudens, fortis patiensque potensque,
2 felix et constans qui requiescit erat.

DICTUM EJUSDEM.

E3_147 v.1 Contemptor Mundi, Gallorum Regis amicus,
2 servus, dum vivam, cunctipotentis ero.

AD PETR. RUPELANUM, QUI A TOL. ABESSE EXSULARE DICEBAT.

E3_148 v.1 Urbem relinquere num tibi molestum est,
2 saevam, terribilem, trucem, dolosam,
3 crudelem nimium, nimisque avaram,
4 ipsa rusticitate agrestiorem,
5 insanam, horribilem, rudem, furentem,
6 dignam fulmine, barbaram, cruentam,
7 indoctam, auspiciis nimis sinistris
8 exstructam, nimis asperoque fato ?
9 Quae justos premit et pios fatigat :
10 quae doctos lacerat, fugat, laccessit,
11 quae nullos, nisi barbaros, tuetur ;
12 urbs haec exilium mihi est nocensque
13 tormentum mihi ? Quid loquor ? Bonis crux

14 urbs haec omnibus, omnibus flagellum est.
 15 Urbs haec est inimica litteratis.
 16 Et jam triste tibi, tibi molestum est,
 17 urbem liquere barbaram malignam ?
 18 Gentem linquere plus Getis ferocem ?
 19 Et, quam nos patimur, carere poena ?
 20 Istud (crede mihi) exsulare non est,
 21 ni tu forsitan exsulare credis
 22 qui in Caelum revocatus est ab Orco.

IN MAMBLAM.

E3_149 v.1 Orasti impuro pacem cum Numina versu
 2 factum est ut summi cresceret ira Dei.
 3 Non puris impura placent, sed carmine puro
 4 numina si cupias flectere, Mambla, lita.

ALIUD.

E3_150 v.1 Iratum pacem Christum cum Mambla rogaret,
 2 "Da mihi (Christus ait) carmina casta, dabo."

ALIUD.

E3_151 v.1 Exoras pacem versu, dant Numina bellum,
 2 exorator eris spondeo, Mambla, tace.

IN CENACUM.

E3_152 v.1 Possum rancidulis tuis libellis,
 2 possum pulcibus pediculisque,
 3 possum muneribus, casa, cibisque,
 4 possum consilio, favore possum,
 5 possum tota opera, labore possum,
 6 sed quid singula persequi laboro ?
 7 Possum, Cenace, te carere toto.

AD JANUM GUTTANUM.

E3_153 v.1 Malo pectoris in loco priore
 2 fixum, Jane, mei, mei Libelli
 3 teque in posteriore collocatum,
 4 quam contra. Mihi vita dum manebo
 5 nemo nesciet esse te priorem
 6 fixum pectoris in mei medullis,
 7 atque imis animi mei latebris

8 stare, et de numero sacro, meorum
9 ut sis ultimus in meis Libellis.

JOANNIS VULTEII REMENSIS EPIGRAMMATUM LIBER IV.

(808 vers)

AD G. RUFFUM, EPISC. OLERON.

E4_1 v.1 Quartam, Ruffe, tibi meae juventae
2 feturam, domino meo dicavi.
3 Quae si culta minus, minus polita est,
4 asscribes teneris adhuc poetae
5 annis et cumulo molestiarum,
6 turbato ingenio, gravi et dolori,
7 quo totus crucior terrorque totus,
8 dum invita hunc facio librum Minerva.

AD EUMDEM.

E4_2 v.1 Ruffe, tibi Quartus nostrae liber ecce Thaliae
2 mittitur, et per te vivere gestit opus.
3 Sat scio consilium, Critici, factumque reprendent,
4 causa tamen facti non inhonesta mei.
5 Nec me perturbat stultae sententia plebis,
6 haudque mens vulgi pendet ab ore labor.
7 At magis hoc vereor ne sim tibi, Ruffe, molestus,
8 lascivum si quod pagina carmen habet.

IN QUEMDAM POETAM A QUO FALSO PLAGII ACCUSATUS EST.

E4_3 v.1 Crescenti invideat poeta famae
2 nostrae, lividus et minis lacessat,
3 accuset plagii prematque iambis,
4 ridendum vocet, et Lavernionem,
5 me falso laceret trucique dente
6 pungat me, patior, sino et benigne

7 laedi quisquilliis, ineptiisque
 8 vatis illepidi, mali et superbi.
 9 Terrent me nihil ista, nam labores
 10 nostros, posteritas videbit ipsa, et
 11 unumquemque suum decus manebit.

IN EUMDEM.

E4_4 v.1 Versus scribere te pios fatebor,
 2 vitam vivere cum piam videbo.

AD G. SCAEVAM, DE REVOCATO MAROTO ET ABSENTE DOLETO.

E4_5 v.1 Quo Gallas repetit Marotus urbes,
 2 illo tempore pellitur Doletus.
 3 Fato hic, pro dolor, invido, et sinistro,
 4 fati munere sed faventis alter.

AD POETAS GALLOS PRO DOLETO.

E4_6 v.1 Ecce novos questus vobis dant fata poetae.
 2 Ecce novas vobis dant lacrimas lacrimae.
 3 Ecce movent fracti suspiria crebra Doleti,
 4 ut si umquam vestra nunc relevetur ope.
 5 Ecce per insuetas languentia dirigit urbes
 6 corpora, quem legum jussit abire furor.
 7 Ecce caret studiis vates, quem dira coegit
 8 vis, ut vim faceret consuleretque sibi.
 9 Quod sit tutatus ferro, quod caede salutem
 10 invita, crimen quis putat esse grave ?
 11 Qui vim vi hostilem generoso pectore fregit,
 12 telaque comminuit hostis iniqua sui,
 13 quid fecit nisi quod mater natura docere
 14 unumquemque solet, quem suus urget honos ?
 15 Humanum humanus factum negat ? Audeo verum
 16 dicere, plus victo victor honoris habet.
 17 Vos igitur, Vates, vati succurrite, vestra
 18 Musarum Musae voce favete patri,
 19 qui de more graves versus dulcesque canebat,
 20 ecce dolet profugus praeque pudore tacet.
 21 Quem Rhodanus, quem plorat Arar multisque superba
 22 urbs olim atque hodie gentibus, arce, situ
 23 Sequana, quemque Liger, flet Matriona et Axona : alumni
 24 deque sui luctu Gallia tota gemit,
 25 cujus fatalem casum curasque metumque,
 26 fortunamque malam saxea corda dolent.
 27 Et quem, vah nimium rexerunt invida fata,
 28 illi, per Musas, nonne feretis opem ?

29 Num sacer hic vates, divinae maxima proles
 30 Palladis, indigne siccus et ater erit ?
 31 Num pascet corvos ? Muscas num pendulus ? Esset
 32 hoc damnum Aonio non mediocre gregi.
 33 Num turpe est sontis pelli pro caede poetam ?
 34 Pro causa fas est num periisse levi ?
 35 Si memor ipse suae laudis caraeque salutis,
 36 vertit in hostiles fortia membra manus,
 37 si necat impurum purus, dum consulit aevo, hunc
 38 mortis ut injuste quis putat esse reum ?
 39 Insons non pereat sontis pro morte, nocentis
 40 qui jugulum petiit non jugulare licet.
 41 Quin potius digna exornetur laude nec ille
 42 pro merito innocuus vulnere damna ferat.
 43 Ergo agite, o Vates, fratris vos causa jacentis
 44 permoveat, rectum non nisi fecit opus.
 45 Ore favete omnes, fortunae reddite primae
 46 errantem, auxilium vos quoque ferte malis.
 47 Vos hominis virtus moveat sumptique labores
 48 pro regno, patria, principe, gente, solo.
 49 Vos iram populi indocti, lenite furorem
 50 legum, res per vos res agat ille suas.
 51 Ad cursum redeat studiorum, carmine vestro
 52 Rex facite ut facti non memor esse velit.
 53 Vos date vitae usum desperatamque salutem
 54 afflicto, Aonides vosque levate virum.
 55 Reddatur profugo libertas pristina vati,
 56 ut recte incoeptum perficiatur opus,
 57 res gestae nostri pereant ne temporis, alto
 58 quasque stylo fassus se dare velle gravi est.
 59 Franciscum placate modis, placabilis est Rex
 60 pro misero veniam vate rogate, dabit.
 61 Si modo vos videat tanti de errore Poetae
 62 angi, qui poenas, dum timet, exsul agit.

AD G. LOWATIUM.

E4_7 v.1 Lowati, mihi dic rogo sodali
 2 quae te occasio, quaeve res coegit
 3 ut tu rusticulam pedissequamque
 4 Musarum, illepidam atque inelegantem,
 5 insulsam ac inopem, favore tanto et
 6 tantas laudibus, usque ad astra ferres
 7 Musam rusticuli et mali poetae ?
 8 Unus cur tibi praedicor poeta
 9 e paucis ? Veteres novum quid inter
 10 audes iudicio tuo locare
 11 vatem rusticulum et rudem ? Fateri
 12 vix ipse audeo me esse de poetis
 13 Gallis, vel minimum, tamen recentes

14 inter et veteres locum priorem,
 15 a summo aut mihi proximum relinquis ?
 16 Plus aequo tribuis mihi, nec istud
 17 agnosco. At quia dicis haec amore
 18 pro nostro, patiar, modo id libenter
 19 Paulo vel Labeone vel Sabino
 20 feras, carminibus meis vocari
 21 te doctum magis et magis peritum,
 22 hac sola, patiar sinamque lege.

DE P. PYLADE, ET JO. DAMPETRO.

E4_8 v.1 Miretur Pyladem suum atque Orestem
 2 vetustas, Pylade alterumque Orestem
 3 nutrit Gallia, Dampetrum poetam,
 4 et Petrum Pyladem, duos amicos.

IN CENACUM.

E4_9 v.1 A nive quantum pix, a corvo cygnus, ab Urbe
 2 vicus et a vero falsum opus, atque rude,
 3 a vitio virtus, ab iniquo discrepat aequum,
 4 quantum album a nigro, nox quoque multa die,
 5 a bello pax, a somno vigilantia, vulgus
 6 a grato ingratum Principe, ab igne fretum,
 7 a sano insanus, quantumque a paupere dives,
 8 purus ab impuro, corpus ab ingenio,
 9 tantum a laudato differs doctoque poeta,
 10 Cenace, non credis ? Tu mihi testis eris.

DE PASQUILLO.

E4_10 v.1 Nil facias Romae vulgi quin currat ad aures,
 2 ut taceant homines crimina, saxa notant.

DE EODEM.

E4_11 v.1 Absit Pasquillus nulli qui parcere novit,
 2 non mundi, immundi Roma sed ipsa caput.

DE EODEM.

E4_12 v.1 Roma caput quod sis, fueris quoque maxima, debes
 2 principibusque tuis Pontificique tuo.
 3 Sed plus Pasquillo, nam praesidet unus in Urbe,
 4 Principibusque tuis Pontificique tuo.

IN MAURUM.

E4_13 v.1 Maure recocte senex, insana bellua mentis,
 2 quo nihil improbius sordidiusque nihil.
 3 Expers communis sensus, rationis et aequi,
 4 expers doctrinae, roboris, artis, opum.
 5 Rodere cum me vis, quid dentibus uteris emptis ?
 6 Rodere vis ? Dentes morio sume tuos.

IN EUMDEM.

E4_14 v.1 Te fugiunt pueri, conjux tua te fugit, ecquid ?
 2 Lingua soloecismos, et tua cauda facit.

IDEM.

E4_15 v.1 Te quod discipuli negant Magistrum,
 2 te quod femina respuit Maritum,
 3 peccat mentula, Maure, lingua peccat.

AD ALAXINUM.

E4_16 v.1 Saepius ut venias nos te tractamus amice,
 2 cena sed haec, vereor, ne sit amica nimis.

IN MAURUM.

E4_17 v.1 Dicis ob hoc te, Maure, senem nupsisse puellae,
 2 subsidium ut cano candida Nympha daret.
 3 Haeredem ut pareret, ne praedia parta perirent,
 4 sitque domi blando qui vocet ore patrem.
 5 Ut fugias vetitum vicini, Maure, grabatum
 6 pro scorto ut tecum sponsa pudica cubet.
 7 Ut facias quod Paulus ait, qui nubere mavult
 8 nos, quam lascivi criminis esse reos.
 9 Mentiri quis non, vel conjuge iudice, credit ?
 10 Quae queritur de te sicca, nec hanc futuis ?

IN ANTO. LAEVAM.

E4_18 v.1 Maxima spes Regni, Regis quoque maxima proles
 2 artibus occubuit sordide Laeva tuis.
 3 Consilium Cuculo virusque modumque dedisti,

4 quo posset tacitos accelerare dolos.
 5 Curre age, edixisti, susceptum perfice munus,
 6 facque tua pereant Gallica Regna manu.
 7 I, fuge, te faciet perfecto munere Princeps
 8 felicem, coeptis omnia digna dabit.
 9 Vade age, praeceptis non sit parere molestum,
 10 immensas servat jam tibi Caesar opes.
 11 Jam, Cucule, aude aliquid Cuculorum nomine dignum,
 12 des Gallo, et natis toxica dira tribus.
 13 Austrius facti tanti non immemor, amplis
 14 ditabit donis teque genusque tuum.
 15 Protinus aggreditur facinus Gallasque per urbes
 16 it Cuculus noctes pervigil itque dies.
 17 Et nidum, pullos matremque Patremque veneno
 18 perdere, promissi dum memor ille parat.
 19 O scelus, o immane nefas, ignobile crimen,
 20 e pullis summum perdidit atra manus.
 21 Sed frustra, Gallus natis Rex semper abundat,
 22 nam quot habet Cives, tot numerat pueros.
 23 Quid tibi, quid Cuculo pro talibus imprecer ausis ?
 24 Sit Cuculus cuculus, sis tibi Laeva lupus.

AD H.F. LAUTRECUM ET V. LAVALLUM DE EODEM.

E4_19 v.1 Qui Laevam putat occidisse nuper
 2 in castris, Stygiasque missum ad undas,
 3 errat. Sed si ubi sit petat, docebo.
 4 Cum fractus fugeret, furens tremensque
 5 vires Carolus et manus timeret
 6 Gallas quas potuit brevi cohortes
 7 secum tempore territus retraxit,
 8 at Laevae interea simul volenti
 9 fixum non licuit pedem referre.
 10 Qui, dum passibus haud abesse longis,
 11 Regem magnanimum, Ducesque sensit
 12 Gallos, insolito timore pulsus
 13 multo pondere se gravique mole
 14 terrae, tempus ad hoc tegi est precatus.
 15 Ergo collibus is latet sub altis
 16 qui nos a populo secant Latino.
 17 Et securus agit nec inquietus.
 18 Causam cur latitet rogatis ? Haec est,
 19 victi ne miseros sui labores
 20 aut Galli videat Ducis triumphos.

IN EUMDEM.

E4_20 v.1 Non procul a castris Gallum cum Laeva videret,
 2 exspes (quis credat ?) fugit ad Antipodas.

DE EODEM.

E4_21 v.1 Quod latitet fallax tenebroso Laeva sub antro,
2 non potuit siccos Laeva levare pedes.

EPITAPHIUM EJUSDEM.

E4_22 v.1 Una Ducem sceleris fraudisque dolique magistrum,
2 omneque cum Laeva continet urna scelus.

IN QUEMDAM GALLUM, AUSONII OSOREM.

E4_23 v.1 De Gallo Ausonio nil me vis dicere, saltem
2 hoc liceat per te dicere, Gallus erat.

IN EUMDEM.

E4_24 v.1 Nervoso moecham dum pasceret inguine, Gallus
2 amisit testes. Quid, nisi Capus erit ?

DE REDITU CLEMENTIS MAROTI.

E4_25 v.1 Felix illa dies Gallum quae reddere vatem
2 persuasit, causa qui sine missus erat.
3 Felix illa dies Regi quae talia dixit,
4 Galle, tuo vati, quam potes, adfer opem.
5 Felix illa dies, posita quae Principis ira,
6 dat Patriae vati dulce videre solum.
7 Felix illa dies quae a Principe missa Maroto
8 haec dat scripta : "Redi, sic volo, sic jubeo."
9 Illa eadem felix cunctis, sed maxime amicis
10 quae canit : Ecce venit, ecce Marotus adest,
11 nec minus haec felix Gallas quae reddidit urbes
12 vati, qui invidia pulsus et exsul erat.
13 Illa etiam felix vatem quae reddidit oris
14 Gallorum, quo non purior alter erat.
15 Felix illa eadem fregit quae tela minacis
16 Fortunae et poenis quae medicina fuit.
17 Jam des laetitiae, jam carmina plena, Poetam
18 jam grata excipias Gallia fronte tuum.
19 Quaeque noverca pio nimis ac nimis ante fuisti
20 clemens Clementi sisque benigna parens.
21 Jam gaudete omnes quotquot superestis amici,
22 quos reduci sanctus conciliavit amor.

23 Jam divina cohors, jam sacrae matris alumni
 24 Palladis, ad superos tendite, quaeso, manus.
 25 Dicite : jam rediit lenito Principe Clemens,
 26 invidia rediit vel prohibente viam.
 27 Dicite, plus valuit Galli clementia Regis,
 28 quam nocuit misero Judicis ira gravis.
 29 Dicite, sit superis, tibi Rex sit gratia, Vatem
 30 vos quibus in propria dulce videre domo.
 31 Dicite, par Regis sit gratia habenda sorori,
 32 quae hunc revocat, sero qui rediturus erat.
 33 Gallia, de reditu laeto sis laeta Poetae,
 34 Clementis sacrum si modo nomen amas.
 35 Si modo ? Quid dixi ? Nemo est tam saxeus, illum
 36 gaudeat in tacito quin rediisse sinu.
 37 Nam qui Clementem propius cognovit, in Orbe
 38 dicere non dubitat sanctius esse nihil.
 39 Nil umquam temere emisit, nil lingua locuta est
 40 improbius, semper candida Musa fuit.
 41 Non tamen ipse velim totam defendere culpam,
 42 sed non exsilio digna nec illa nece.
 43 Deinde, relegatum fugientem terra Marotum,
 44 gensque hilari vultu si peregrina capit,
 45 quid factura suo est reduci gens Gallica Vati,
 46 quem plus luminibus debet amare suis ?
 47 At, si quis doleat poena venisse remissa,
 48 hunc rabies vexat, continuusque furor.
 49 Et (semel ut dicam) quicumque est ille, Marotum
 50 cum grege Pieridum qui rediisse dolet,
 51 non solum exilio aeterno, vel carcere dignus,
 52 verum etiam furcis perpetuoque rogo est.
 53 Quare vos, Vates, tu, Gallia, Regia Galli,
 54 vos, comites, illam concelebrate diem,
 55 qua rediit salvus, placato principe, Clemens,
 56 id poscit pietas id socialis amor.
 57 Vos quoque dimissis lacrimas deponite curis,
 58 cura quibus patriis tangere plectra modis.
 59 Id ratio, labor id, Clementis nobile carmen,
 60 et facere id probitas simplicitasque jument.

AD G. SCAEVAM, DE MAROTO.

E4_26 v.1 Tempore Ferrariam Clemens quo fugit in urbem,
 2 semianimes Musae, semisepulta lyra est.
 3 Tempore Ferraria Clemens quo venit ab urbe,
 4 plenianimes Musae, facta sonora lyra est.

ALIUD AD EUMDEM.

E4_27 v.1 Dum jubet a patria discedere Gallia Vatem,

2 regia Musarum cum fugiente fugit.
3 Dum jubet ut patriam repetat clementia Regis,
4 regia Musarum cum redeunte redit.

DE MARONE, ET MAROTO AD EUMDEM.

E4_28 v.1 A Latio Gallus si forte Marone Marotus
 2 quid differt, per me noscere, Scaeva, cupis.
 3 In nullo prorsus distat (me iudice) namque
 4 est Vatum in lingua summus uterque sua.

IDEM AD EUMDEM.

E4_29 v.1 Si vates Maro Gallicus fuisset,
 2 scripsisset (scio) quod facit Marotus.
 3 Si vates Latio Marotus esset,
 4 quod scripsit Maro scriberet Marotus.

IN MAURUM.

E4_30 v.1 Maure, tua quid agis cum conjugē ? "Dormio", dicis.
 2 Verum alia nupsit condicione tibi.
 3 Dormire esse novi non credas gaudia lecti,
 4 est aliud, quod te nox docet, istud agas.
 5 Respondes "Nequeo, molle est et inutile telum,
 6 inque latus missum vulnera nulla facit."
 7 Non igitur grave sit, non sit tibi, Maure, molestum,
 8 si ex aliis, quod jam non potes, ipsa petat.

AD ANDREAM BARONAM.

E4_31 v.1 Carmen mittimus ecce liberale, ut
 2 des pro carmine liberale vinum.

VERNETAE VIRG. TOLOS. EPITAPHIUM.

E4_32 v.1 Vitam aestas, autumnus amicum, ver mihi nomen ;
 2 sed tria quod dederant tempora tollit hiems.

FR. RIPARIAE TOLOS. EPITAPHIUM.

E4_33 v.1 Quae jacet hic, virtute aditum faciente marito,
 2 a minimo ad summum venerat illa gradum.
 3 Causidici atque Senatoris, post illa Secundi,
 4 dein Primi nuper Praesidis uxor erat.

5 Altius in terris cum non conscendere posset,
6 a summo ad superos pergit abire gradus.

ALIUD.

E4_34 v.1 Ascendens cecidit, vivens est mortua, cujus,
 2 dum vixit, vixit non reprehensus honos.

ALIUD.

E4_35 v.1 Invidiam, famam, fortunam vicerat haec, quam
 2 mors vicit, quae nos vincere sola solet.

EX VERNACULO MAROTI AD B. CURTIUM.

E4_36 v.1 Hoc corpus miserum petit salutem,
 2 frater care mihi, sed hoc resolvi, ut
 3 foedo a carcere spiritus peroptat.
 4 Mundum hoc somniat, hic solutus esse.
 5 Audire, heu, lacrimas grave est duorum.
 6 "Ah, sic (corpus ait) mori necesse est ?"
 7 "Ah, sic (spiritus) hic diu immorandum ?"
 8 "I, te suavius opto" (corpus inquit)
 9 "I nos (spiritus) error urget idem."
 10 Ast fiat Domini Dei voluntas.

AD CASTELLUM DE CATELLO.

E4_37 v.1 Cum nostros rodit versus, Castelle, Catellus
 2 naturam sequitur ; rodere namque canum est.

IN CATELLUM.

E4_38 v.1 Te natura volens creare rectum,
 2 monstrum procreat ipsa tortuosum.

AD JAC. VINTMILLANUM.

E4_39 v.1 A cena si, Iacobe, vis joculari
 2 nobiscum venias, sumus parati.

AD URSINUM POETAM.

E4_40 v.1 Ursa suos format lambendo saepe catellos,

2 carnea qui fuerant non nisi massa prius,
3 sic, Ursine, tuos versus reddisque politos,
4 et cultum ipse facis quod fuit ante rude.

IN BERTAM.

E4_41 v.1 Nescio quid facias prudente sciente marito ;
 2 quod nec scit, nec vult, quid facis ipsa, scio.

IN MAURUM.

E4_42 v.1 Maurus nubere cum senex puella
 2 studet cumque sibi negata sentit
 3 ornamenta, quibus solent placere
 4 proci candidulis suis puellis,
 5 incautam, facilem, rudemque tentat
 6 nugis fallere garrulaque voce.
 7 "Praeter cetera me quibus bearunt
 8 ars, sors, sum bene mentulatus, inquit,
 9 et me frigida non gravat senecta
 10 quin cunni penetrem tui cavernas."
 11 Effeto hac ratione copulatur,
 12 nondum experta tori puella pugnas.
 13 Promissi memor, ad fututionem
 14 prima nocte senem vocat maritum,
 15 et signum canit, et cupit movere
 16 hunc blandis precibus, jocisque blandis :
 17 frustra, namque suae impotens recusat
 18 caudae conscius aridique penis.
 19 Defert ad venerem suas querelas
 20 conjunx, ipsa senem inque jus vocare
 21 pergit, tum statuit venus necessum
 22 esse, ut se bene mentulatum Maurus
 23 probet, vel faciat satis puellae.

AD CL. MAROTUM.

E4_43 v.1 Non mirum est Gallo superes quod carmine multos,
 2 quod vincas mirum est carmine et arte patrem.

AD MAUR. SCAEVAM.

E4_44 v.1 Triste supercilium deponis, laudibus ornas
 2 femineum tunc cum, Scaeva, supercilium.

AD JO. A PEYRATO. SUP. LUGDUN.

E4_45 v.1 Consultissime juris utriusque,
 2 vir frugis bonae et eruditionis
 3 laudandae, decus elegantiarum,
 4 atque item generis domusque avitae
 5 lux morum pater, optimi Tetrarchae
 6 Francisci regimen, vices gerensque
 7 Lugduni, sua jure gloriatur
 8 quo terra et se aliis magis beatam
 9 sentit, praeside nobili et patrono.
 10 Cui debent animumque spiritumque,
 11 Phoebo qui faciunt sacra et Minervae,
 12 hoc te carmine, sed rudi salutat
 13 Vulteius, tuus esse qui peroptat,
 14 omni tempore et omnibus diebus.

AD CL. MAROTUM DE FR. REGE.

E4_46 v.1 Francus amat Musas, Musarum et carmina, vatem,
 2 quid mirum, si te rex quoque Francus amet ?

IN GORGONIUM.

E4_47 v.1 Cum versus facias ridendos, cur, rogo, factum
 2 nil recte, nisi quod scripseris esse putas ?

IN QUEMDAM POETAM PAEDAGOGUM.

E4_48 v.1 Dum vitam pueros doces pudicam,
 2 juvat ducere te quid impudicam ?
 3 Non te sic decet esse paedagogum.

IN EUMDEM.

E4_49 v.1 Versu castius est nihil poetae,
 2 vita turpius est nihil poetae,
 3 versus scribere desinat pudicos,
 4 vitam vivere pergat aut pudicam.

IN EUMDEM.

E4_50 v.1 Gestis praeceptis teneros formare puellios,
 2 gestio te, nam tu plus puer es pueris.

IN EUMDEM.

E4_51 v.1 Cum me carminibus tuis laccessis
 2 laudem nonne aliquam referre gestis ?
 3 Laus non sic (mihi crede) comparatur.

IN EUMDEM.

E4_52 v.1 Audio te versus bis vendere tempore eodem
 2 hosdem qua lege id consiliove facis ?

IN EUMDEM.

E4_53 v.1 Non te dicere me Lavernionem
 2 pudet ? Fur fugitive, fur malorum
 3 vatum pessime ? Te colore pictum
 4 illo, pingere quo meum volebas
 5 nomen, tempore perbrevis videbis,
 6 nec sumptu faciam tuo, malorum
 7 vatum pessime, sed meo labore et
 8 ficti carminibus meis poetae
 9 mores, (ut meritum est tuum) reducam
 10 in lucem et calamo, diu notabo
 11 tecta, te pueri palam docebunt
 12 esse pessimum et ultimum bonorum ;
 13 per te nec tibi factitabo fucum,
 14 quod tu si stomachum movere pergis,
 15 dicam ? Livide, si sapis, taceto.

AD JO. A PEYRATO LUGD.

E4_54 v.1 Urbs, quam lentus Arar, veloxque findit
 2 in partes Rhodanus duas, Latinis
 3 olim culta viris, foret locata
 4 tunc cum in vertice maximique collis
 5 fixa in culmine, nidulus volucrum
 6 tamquam in arbore pendulus, tremensque,
 7 urbs, quae tempore Galliam Comatam
 8 quo Plancus regeret, novas recepit
 9 in radice domos situmque rupis
 10 altae : nobilitata et aucta, multa
 11 re, Gallo duce Gallicaque gente
 12 urbs, quae lautitiis, jocis, poetis,
 13 urbs, quae mercibus omnibus redundat,
 14 multos et tulit, et tenet peritos,
 15 et qui percupiant gregi beato
 16 doctorum, et studiis sacris favere,
 17 urbs quae semper alit disertiorum

18 linguas, munifice favetque Musis
 19 urbs est nominibus beata multis,
 20 illud haud nego, sed beata nullo
 21 plus, quam tempore, quo tuo favore
 22 vivit, et valet atque temperatur.
 23 Nam musae tibi serviunt libenter,
 24 et leges famulantur, ac vicissim
 25 servis legibus et piis Camenis,
 26 regis munus obis tui, labore
 27 cum sommo, Aonidum choros gubernas,
 28 amplas muneribus beas peritam
 29 turbam, id nec faceres nisi ipse doctus
 30 esses, quod loquor ipsa res fatetur.

AD HIER. FONDULUM.

E4_55 v.1 Seu nomen tibi fons dederit, seu, Fondule, funda,
 2 seu tibi fundus, agis nil nisi dignum homine.

IN GORGONIUM.

E4_56 v.1 Qui te veridicum jactas scribisque poetam,
 2 id cur non vera simplicitate probas ?

IN EUMDEM.

E4_57 v.1 Te pungi, te angi, te tangi fulmine cernes,
 2 ardentem flammam suppeditante Jove,
 3 ni te errasse brevi fatearis tempore, dicis,
 4 de culpa fateor, nescio, teste proba.

IN EUMDEM.

E4_58 v.1 Facta infecta etiam Gorgoni carmina vendis,
 2 quae sibi calcographus dum petit empta dari,
 3 in patria esse tuum exemplar causaris, at emptor
 4 cum pro carminibus te dare verba videt,
 5 infecta, in patria non sunt, ait, haec mihi vates
 6 vel facias, nummos vel mihi redde meos.
 7 Exspectare jubes, exspectat, nil venit, ille
 8 tandem nequitiis victus et arte tua,
 9 cur pactum violes, dixit, promissaque non des
 10 muta meis facta est an tua Musa, sonis ?

AD G. CAULIUM LUGD.

E4_59 v.1 Qui summo veterem labore Romam,
 2 priscorum monumenta nec perire
 3 sinis, qui <ante> oculos theatra ponis, (correction)
 4 ludos, et statuas imaginesque
 5 signatas, fora, porticus, columnas,
 6 qui numismata Caesarum et triumphos,
 7 diversas hominumque factiones,
 8 ritus pontificum, sacros honores
 9 Urbis, munera, liberalitates,
 10 sumptus, delicias, opes, palaestras,
 11 luxus, stemmata consulum et potentum
 12 fasces, quique deum dearum et aras,
 13 qui spectacula, qui domos superbas,
 14 picturas, simulacra, qui figuras,
 15 qui urnas, qui cineres, tropaea, circos,
 16 qui collegia, qui sodalitates,
 17 thermas, balnea, supplicationes,
 18 et qui denique nil mori vetustum
 19 cupis, sed veterem jubes renasci
 20 Romam, obnoxia quaeque sunt ruinae
 21 aevum perpetuas in omne, Cauli
 22 tanti praemia quae feres laboris ?

LUG. QUERITUR, DE DOLETI ET MAROTI DISCESSU.

E4_60 v.1 Uno tempore quae duos poetas
 2 Gallos, in tenero sinu fovebam,
 3 et plus civibus hos meis amabam,
 4 uno tempore perdidit, hunc maligno
 5 casu, illum imperio sui que jussu
 6 Regis, vah cito quam fugit voluptas ?

AD MAROTUM.

E4_61 v.1 Injussu Regis fueras expulsus, at ipso
 2 prosper ab exilio rege jubente redis.
 3 Linquo iudicium cunctis, quam dulce poetam
 4 Regi, hunc quamque tibi dulce videre fuit.

IN GORG. MALEDICUM.

E4_62 v.1 Non te sollicitet crescens mea, Livide, fama,
 2 me facis esse aliquid, cum nihil esse cupis.

AD F. TURNON. CARD.

E4_63 v.1 Quae super hanc terram non vis, Francisce, sed ipsa
2 quae sursum, vere iudice me, est sapere.

AD CLINIAM.

E4_64 v.1 Qui cessare potest amor est, mea Clinia, fictus,
2 nam cessat numquam qui bene coepit amor.

AD M. SCAEVAM.

E4_65 v.1 Inclinat tenerum quoties tua Delia pectus,
2 luminibus praestat pabula grata meis,
3 aspectu pascorque simul cruciorque, sagittae
4 nam mammae vires clam ferientis habent.

AD SAL. MACRINUM.

E4_66 v.1 Res quae te faciunt bonum Poetam,
2 sunt hae iudicio, Macrine, nostro :
3 ars, natura comes, labor gravisque,
4 usus assiduus facesque amoris
5 casti ; scisne alias, Macrine, causas
6 quae te tam faciunt bonum poetam ?
7 Has me, si scieris, precor, doceto.

EX VERNACULO MAROTI DE DOLETO.

E4_67 v.1 Romani ingenium Ciceronis nobile multos
2 dum cerebro infirmo plus satis esse videt,
3 qui frustra sumpsere stylum frustra que laborem,
4 dictorum ut vires illius exprimerent.
5 Hoc iterum in terras caelo descendit ab alto,
6 inque Doleti tunc illico corpus abit,
7 seque hodie nobis Cicero declarat, et ipse
8 vivens, mutatum nil nisi nomen habet.

IDEM EX EODEM.

E4_68 v.1 Egregius Latii Ciceronis spiritus, orbe
2 debile in hoc cerebrum pluribus esse videns,
3 qui nimium leviter calamum sumpsere, volentes
4 dictorum vires illius exprimere,
5 a caelo ecce iterum terras descendit ad imas
6 atque Doleti intrat corpus inane sui.

7 Ipse que non alius nobis sese explicat, et nunc
8 est talis dempto nomine qualis erat.

IN GORGONIUM.

E4_69 v.1 Dicis scribere te poeta versus
2 qui non prorsus olent malum poetam.
3 Hoc non abnego, nam, poeta, pejus
4 foetes carminibus tuis olesque.

DE N. BEDA.

E4_70 v.1 M, n, nque iterum, B posthaec, Beda solebat
2 scribere, cum titulum nomen et ipse daret.
3 Quidam aenigma putans, me consulit , en rogo vates
4 quattuor haec sibi quid, dic, elementa volunt.
5 "Me, magnus, dixi, nebulo est n, n quoque natus,
6 Bestia, B, junge haec, quod petis, istud habes."

AD CLAUD. CHOMARDUM.

E4_71 v.1 Claudi, te rogo, si petis rogari,
2 Claudi, inquam, rogo, diligenter omnes
3 res praesens gerere et velis tueri
4 absentis, veteris tui Tolosae
5 nomen nec minui sinas sodalis,
6 insumpto faciam satis labori et
7 pergrati obsequii memor, rependam
8 ac summi referam vices amoris,
9 coram ; namque brevi pedem hinc movere
10 mens est, dum fuerint mei Libelli
11 impressi, Comites nec immorabor
12 quin vos, si Deus annuat, revisam.

AD STEP. WITASSIUM, DE FABRITIO AEGROTANTE.

E4_72 v.1 Quantum difficilis dolor gravisque
2 morbus Fabritii tui jacentis
3 et fracti moveatque torqueatque
4 Vulteium, veterem tuum sodalem,
5 non possum satis explicare verbis.
6 Quare qui valeat (valere si me
7 vis) per te facias brevi ut sciamus.
8 Nam si vim sciero periculosam
9 et morbi rabiem nocentioris,
10 pulsam, qui male habet premitque amicum,
11 illo illo bene habente, tunc valebo.

AD JO. LIGAEUM BARRENSEM.

E4_73 v.1 Si quid pro veteri veroque negaret amore
 2 Musa tibi, certe non satis aequa foret.
 3 Artibus ingenui mores pectusque virile
 4 adjunctumque piis moribus ingenium,
 5 officium, ut nolim, cogunt praestare tuumque
 6 ne sileat nomen Musa, Ligaeae, jument.

AD JO. PEYRATIUM, ADOLESCENTULUM LUGD.

E4_74 v.1 O mellite puer, puer tenelle,
 2 o formose puer, puer modeste,
 3 patris o puer o tui voluptas,
 4 spes et deliciae, Deum secundum,
 5 docti, dum licet, insequi parentis
 6 sit vestigia non tibi molestum,
 7 quem pulcherrima reddidit potentem
 8 virtus, perspicuum facit magisque
 9 semper, est tibi jam nihil negatum
 10 quo possis patrium ampliare nomen.
 11 Aetas convenit, optimus magister
 12 adest, divitiae, quies locusque
 13 non desunt tibi, nec puto voluntas.
 14 Quare perge puer, domum beatam
 15 fac reddas studio beatiorum,
 16 ut tantum tibi debeam nepotes,
 17 quantum tu merito optimo parenti.

DE JACQUARTO FAMULO.

E4_75 v.1 Cum puer in nostris multorum scripta libellis
 2 nomina meque suum praeteriisse videt,
 3 protinus aggreditur Dominum, positoque pudore,
 4 in versu merito quaerit habere locum.
 5 "Si tu vix notos collaudes carmine, dicit,
 6 cur pueri notos non canis ipse pedes ?
 7 Servivi utiliter, reddas sua dona labori,
 8 pro pedibus, saltem, redde poeta, pedes."

AD SAL. MACRINUM.

E4_76 v.1 Hymnos mi, Pylades, tuos, Macrine,
 2 castos et placidos, et elegantes
 3 quidem illos, dedit, et dedit libenter

4 Vulteio, minimo omnium poetae
 5 illo tempore, pauculi Libelli
 6 praeli pondere quo mei calerent
 7 Lugduni, mihi gratius fuisse
 8 quicquam umquam, rogo ne, Macrine, credas,
 9 in iis, tu me operis vocas recentis
 10 auctorem, hoc tibi debeo, Macrine.
 11 Jam dicas veteris novum paravi.
 12 Inter me numeras bonos Poetas,
 13 et illud tibi debeo, sed ipse
 14 non dici merui bonus Poeta,
 15 qui pango nihil, aut malum poema.

IN TIMONEM FEMINARUM.

E4_77 v.1 Feminum pungis sexum dum belua, multo
 2 feminea inferior tu mihi laude vir es.
 3 Quid te, porce, virum dixi ? Num nomine tanto
 4 es dignus generis immemor ipse tui ?
 5 Non te hominem homines, sed faecem et putre cadaver
 6 nullis non plenum sordibus esse putant.

AD PHILIP. RHOMANUM.

E4_78 v.1 Esse te miserum, Philippe, credis ?
 2 Erras ; non miser es, Philippe, sed tu
 3 es felicitior omnibus Philippis,
 4 et prudentior, hoc beatiorque
 5 vate, emungere te tuis philippis
 6 qui nuper studuitque turpiterque
 7 Lugduni voluit, tacere nomen
 8 cujus, ut moneat pudor, loquetur
 9 impressa effigies et indicabit,
 10 quae per sordidulas vagans culinas
 11 abstergit pateras paropsidesque.

AD FRANCIS. REGEM, DE DOLETO.

E4_79 v.1 Num cruce, num flamma, foedo num carcere dignus
 2 aeternum cujus dextera fecit opus ?
 3 Non ita, sed largo donandus munere, clarum
 4 extincto cujus corpore nomen erit,
 5 Ad Libros et ad Aonidum sacra nonne vocatum
 6 esset damnum ingens ante perire diem ?
 7 Id tentare pudor, neque parvum crimen, honore
 8 dignum perpetuo supplicio afficere.
 9 Ergo age, rex, miserere sacri doctique poetae,
 10 da veniam, vultu quo dare cuncta soles.

AD HIERONYMUM GROSLOTIUM, DE DAMPETRO.

E4_80 v.1 Ostendit mihi Truchius poeta
 2 nuper hendecasyllabos poetae
 3 Dampetri, nequeo explicare quanta
 4 in iis gratia, quanta sit voluptas,
 5 ii quam sint lepidi venustulique,
 6 quam dulces, placidi, pii et pudici,
 7 non hic quaerere, non rogare debes
 8 horum quam fuerit mihi jucunda et
 9 grata lectio, sum videre visus
 10 et venam et numeros Catullianos
 11 aut nymphas nemorum simul canentes,
 12 sacrum et Thespiadum gregem Dearum,
 13 quid ? Visus similis mihi est Catullo,
 14 ni quod carmina Dampetrus poeta,
 15 (quod res est liceat mihi fateri)
 16 scribit casta magis, minus severa.
 17 Ne vivam, nisi sum mihi precatus,
 18 optavique oculos habere centum,
 19 et aures totidem, frui Camenis
 20 quo possem magis ac magis poetae
 21 Dampetri, Hendecasyllabon poetae.
 22 Quare si fuerit Domi, hunc rogabis
 23 ut si quos alios poeta lusit,
 24 horum participem velit sodalem,
 25 illis audio nil magis libenter,
 26 illis nil video magis libenter,
 27 nil est denique quod magis libenter
 28 legam, versibus, optimi poetae
 29 Dampetri Hendecasyllabon poetae.

AD JAC. PYRUM BURDIG.

E4_81 v.1 In nostro genium cum non sit carmine, quare
 2 in libris quaeris nomen habere meis ?
 3 Si Galli vires, mihi si data vena poetae
 4 Ausonii, patriae gemmaque luxque tuae,
 5 aeterno canerem victurum carmine nomen,
 6 deque Pyro per me mentio honesta foret.
 7 Posse placere diu despero aut vivere, sed tu
 8 vives tunc nostrum cum pyra perdet opus.

DE GORGONIO, AD LECTOREM.

E4_82 v.1 Ut sint venales versus vulgoque probentur,

2 e Graeco jactat Zoilus esse suo.
 3 Non te decipiat nugis, non te adtrahat ille
 4 nugator, Graecos non habet ille sonos.
 5 Hunc docuit magnos promittere Graecia montes,
 6 sic forsán vates Graeculus esse potest.
 7 A Graecis didicit mentiri, scribere nugas
 8 a Graecis, Graecum sic habet ille suum.

AD SYLVIAM G. SCAEVAE ET DAELIAM M. SCAEVAE CONSOBRINORUM.

E4_83 v.1 Nil nisi nomen habens a sylvis, Sylvia, densis,
 2 Daelia de Daelo nil, nisi numen, habens,
 3 felices animae victuraque nomina, donec
 4 mons bifidus Scaevas asseret esse suos.
 5 Vos colit haec, Nymphae, veniens mirabitur aetas,
 6 perpetuis vestra est fama sacrata focus.
 7 Utra prior fuerit si quis dubitaverit olim,
 8 a paribus Scaevis vos sciat esse pares.
 9 Ambo pares genere, ambo nomine et ambo coronis,
 10 ambo annis, ambo patria et ambo fide.
 11 Dissimiles tantum quod uterque ornabit utramque,
 12 ille Hedera Latii carminis, hic patrii.

COR. AGRIPPAE EPITAPHIUM.

E4_84 v.1 Post tempestates, dubiae post somnia vitae,
 2 Agrippam parta mors requiete rapit.
 3 Et cui nulla fuit misero per regna vaganti
 4 patria, cum superis gaudet habere domum.

AD G. SCAEVAM, DE M. HOSPITALE.

E4_85 v.1 Lingua dulcius est quid Hospitalis ?
 2 Musa castius est quid Hospitalis ?
 3 Vultu dignius est nil Hospitalis.
 4 Vita sanctius est quid Hospitalis ?
 5 Illo candidius quid Hospitale est ?
 6 Hic re et nomine totus Hospitalis ;
 7 tuisne merito ille idem Hospitalis
 8 in caelum usque sonis ubique fertur ?

AD P. BORNELLUM.

E4_86 v.1 Quid tu nomine feceris Doleti,
 2 illi quam fueris fidelis, hoc est
 3 plus satis mihi cognitum, et Poetis
 4 Gallis omnibus immemor nec ipso est

5 a te qui officium recepit, illo
6 fas est tempore quo probare amicos.
7 Facti non, mihi crede, paenitebit.

AD TRES VAUZELLIOS FRATRES.

E4_87 v.1 Tres fratres celeberrimi optimorum,
2 tres vita, et genio, et pares amore,
3 quibus una domus tribus, fidesque
4 una est, una eadem tribus voluntas,
5 vos sic vivite semper, et valete,
6 humanis pariter, diisque grati.

AD PENDULUM.

E4_88 v.1 Miraris duros semper me ferre labores,
2 sed contra miror qui piger esse queas.

IN CENACUM.

E4_89 v.1 Cum tu tam turpis sis, Cenace, linque Garumnae
2 litus, ne subitae sit tibi causa necis.
3 Si faciem aspicias, nimio ut Narcissus amore est
4 mersus aqua, ipse odio sic moriere tui.

EPITAPHIUM SANCTIS PAGNINI LUCENSIS.

E4_90 v.1 Sanctes cum vitae perfecit fila prioris,
2 protinus aggreditur posterioris iter.
3 Hoc probat hic tumulus nobis, qui terminus illi est
4 alterius vitae, principium alterius.
5 Ergo abiit Sanctes, patria lux ille trilinguis,
6 quem summi excepit Regia sacra Jovis.

SOLATUR SYMONEM CORAILLIUM.

E4_91 v.1 Quae te corporis opprimit tui pars,
2 summo discrucians dolore mentem ?
3 Quin curas relevas molestiasque ?
4 Quin morbi rabiem procul repellis,
5 qui te nocte tenet dieque vinctum ?
6 Aegrotatio cogitationes
7 ut multas pariat, tamen necesse est
8 tempus vulneris auferat dolorem
9 accepti et doceas virum probesque
10 te esse magni animi, manus levabis

11 parvo tempore sic tuae dolorem.

AD JO. LIGAEUM.

E4_92 v.1 Qui fit nescio, mi Ligaeae, apud te ut
 2 serves carmina perpolita quae tu
 3 scribis, nec cupias videre lucem.
 4 Molle et dulciculum venustulumque
 5 plenum Pegasei liquore fontis,
 6 et factum Criticum poema ad unguem.
 7 Quod tu si facerent, Ligaeae, cuncti
 8 fecissentve prius, foret poeta
 9 nullus, nullus honos foret camenis,
 10 sacer Castalidum chorus periret
 11 prorsum, te rogo flagitoque quantum
 12 possum, ut lumine digna quae perenni
 13 sunt poemata sempiternitate et
 14 omni, non cupias diu latere,
 15 sed cunctis reseres tuas camenas.

AD P. MARIUM.

E4_93 v.1 Ut tua sors Marii par non sit, candide Mari,
 2 qui olim Romana Consul in urbe fuit.
 3 Haec tamen illius longe est felicior, ipse
 4 nam felix vivis, mortuus ille miser.

AD FIACRIUM SYLVANUM.

E4_94 v.1 Pan, Sylvane, tibi nomen dat, dat tibi mores
 2 Daelia, formosum os dat Cytherea tibi,
 3 ingenii eximias vires dat Pallas, et artem
 4 nymphae, qua nil non scribere rite queas.
 5 Si te ditasset nummis Fortuna, beatum
 6 te possem ex omni dicere parte virum.

AD SODALITIUM AMICORUM LUGDUNENSIUM.

E4_95 v.1 Antiquae immemores sodalitatis
 2 unus vos vocat e sodalitate
 3 Vulteiis vocat ad sodalitatem,
 4 qui prodesse cupit sodalitati.
 5 Quare vos properate, vos venite
 6 turmatim, o socii, precor, venite
 7 jamjam, haud vos decet esse contumaces,
 8 nec sanctae immemores sodalitatis.
 9 Unus dum petit e sodalitate,

10 qui prodesse cupit sodalitati.

AD SUAM MUSAM.

E4_96 v.1 Semper dum miser inquietus erro,
 2 te fidam comitem mihi, laborum
 3 praestas, exhilaras tuumque vatem
 4 hunc laetum esse jubes, jubes sonare,
 5 hunc jubes memorem suae salutis
 6 esse, taedia quae vagum fatigant
 7 tollis, nec mihi denegas favorem
 8 umquam, nec misere sinis perire,
 9 vitam das mihi, das meae medelam
 10 fortunae, omnia das, Deum secundum.

AD G. SCAEVAM.

E4_97 v.1 Noli, Scaeva, meis irasci versibus, ausi
 2 quod fuerint cineres sollicitare tuos.
 3 Dico tuos, tui enim pars illic altera, tantis
 4 consona carminibus si tua pars reliqua est.
 5 Eia, age, tu potius, si non tu, Sylvia saltem
 6 exeat, aeternis tot comitata modis.
 7 Improbus erga te es nec non injurius illi,
 8 posteritas sciet hoc, cui quoque non bonus es.
 9 Nomina si forsan, vel te nolente retexi,
 10 non illi, nec erunt invidiosa tibi.
 11 Vester amor, tantum fidei, tantum hausit honoris
 12 tantillum ut sedis vix fuerit Veneri.
 13 Ille animos vinxit, quos solvere tempora, nedum
 14 conscia mors rapti corporis, haud poterunt,
 15 hic olim inveniet fortunae, Scaeva, suaeque
 16 et fidei, et laudis femina virque fidem.

AD PHILIBERTUM ROLLETUM, ET JOANNEM AUSULTUM.

E4_98 v.1 Vos, o vos lepidi duo Sodales,
 2 quorum nostri, opera exeunt libelli,
 3 vos Musa et colit, et deosculatur,
 4 vos amplectitur atque utrique jurat
 5 se debere lubens sui poetae
 6 quantum vel calamo, stylo, aut labori.

IN GORGONIUM.

E4_99 v.1 Qui sis, Gorgoni, scio sat, sed scribere nolo ;
 2 scribere namque tuus nec meus esset honos.

AD TONILLAM PUELLAM LUGDUN.

E4_100 v.1 Cur ex omnibus, o Tonilla, apud te
2 primas obtineam puella partes,
3 nec complecti alium cupis ? Quid hoc est,
4 ni quod, cum mihi cor tuum dedisti,
5 ad te cor pariter meum volavit ?
